Gerhardj Queſtiones Chymicæ




VERSANTUR HIS TRIBUS

EXTRACTVM

CHYMICARVM QVAESTIONVM, SIVE RESPONSIONIS AD THEORIam lapidis philoſophici editam in academia Regiomontana à quodam ibidem antichymiſta.

VBI VERITAS ARTIS CHYMICAE ETIAM CONTRA principia negantem aſſeritur, & multæ difficiles & jucundæ quæſtiones diſcutiuntur:

AVCTORE

JOHANNE CUNRADO GERHARDO. M. D. ILLUSTRIUM COMITUM de Hoenloe & Civitatis Oringanæ Phyſico.





ARGENTORATI,

Impenſis Heredum LAZARI ZETZNERI

Anno M. DC. XVI.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI DOMINO, DOMINO JOHANNI FRIDERICO DUCI

wirtenbergico & Teccio, Comiti Mompelgardi Domino Heidenheimio &c. Domino suo clementissimo.



Um Hannibal (ut refert Cicer. 2. de oratore) Pœnorum quondam imperator, Carthagine à suis expulsus Ephesum ad Antiochum regem, tum temporis potentissimum venisset exul: pro eo, quod ejus nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus dicitur à suis hospitibus, ut Phormionem philosophum audiret, quem ipse non invitus audiens copioso sermone aliquot horis disserentem de imperatoris officio, deq; omni re militari: cunctis huius facundiam admirantibus, Hannibal interrogatus, quidnam de hoc philosopho sentiret? Barbaro quidem sed tamen libero respondit sermone, multos se deliros senes vidisse, sed qui magis, quàm Phormio deliraret, vidisse neminem. Nec injuria. Quid enim arrogantius vel loquacius fieri potuit, quàm Hannibali, qui tot annos de imperio cũ populo Romano omniũ gentiũ victore certasset, Græcũ hominẽ, qui nunquã hostẽ, nunquã castra vidisset, nunquam deniq; vel minimam ullius publici muneris particulam attigisset, præcepta de re

militari dare. Ita non dubito, Illustrissime princeps, Domine Clementissime, quin Johannes Papius medicus aulicus & professor Regiomontanus (cuius nomen, quoniam in medicorum numero tantam bestiam sophisticam reperiri pudet, semel expressum, porrò non tam sponte, quàm deprecatione cujusdam amici, ejusdem professionis silentio & sub antichymistæ vocabulo involvo) theoriâ suâ lapidis philosophici, quam in calumniam & infamiam chymiæ, chymistarumq; sine exceptione personarum, bonorumq; artificum à malis discretione (impostorum enim defensionem ut declarabitur argumento decimo nono, non suscipio) conscriptam, sub illustrissimi nominis tui patrocinio cum impudenti, arroganti & in bonos viros ignominiosa præfatione non ita pridem in lucem edidit C. V. multò magis delirare visus fuerit, vehementiusq; displicuerit, quàm olim Hannibali Phormio ille, cujus in re militari, etsi empeiria deerat doctrina tamen major, & oratio modestior erat, quam antichymistæ nostri de re metallica, chymicaq; disceptatio. Ille enim græcus tam copiosè, ornateq; de officio ducis belloq; gerendo dicere non potuisset, nisi longè prius ex historicis bellicarumq; rerum scriptoribus doctrinam conceptã & quasi systema quoddam ejusmodi theorematum generaliumq; præceptorum observatum collectumque in promptu habuisset, etsi usu rerum carebat, cujus causa ab Hannibale deridebatur. Alter verò iste Phormio earum rerum de quibus disputat, non tam usu destitutus est, quam omni prorsus doctrina. Ex omni enim ejus sermone indubitatissimè nobis constat, sicut in tota refutatione postea ostendetur,

illum nullum unquam in metalla pedem posuisse, nullos puteos aut cuniculos subjisse, neminem metallariorum super his interrogasse vel audiisse, nullum verum artificem chymiæ, id est, philosophum in universâ vitâ suâ vidisse, nulli projectioni adfuisse, nullum arte factum aurum, sive verum, sive falsum attigisse, vidisse, probasse, vel etiam probare didicisse; imò ne metallicorum quidem scriptorum vel docimastarum aut philosophorum de his rebus libros vel per transennam saltem inspexisse, quippe qui per totam disputationem, ne minimum quidem testimonium auctorum in suffragium opinionis suæ adduxerit, imò ne ullius vel metallici vel chymici scriptoris meminerit, nisi solius Gebri thesi 72. ex quo tamen ne quinque quidem verba de conditionibus tincturæ integrè, incorruptéq; citare noverit, ut demonstrabitur in argumento decimo quarto. Artis verò distillatoriæ & rerum distillatarum adeò rudis est, ut thesi 60. contra omnium medicorum & pharmacariorum experientiam singulari novoq; paradoxo ausit negare, oleum cinamomi esse oleum. Nihilominus pro eâ, quâ est sophisticâ fronte & mente C. V. cæterisq; illustrissimis chymiæ patronis, qui & in diversis metallifodinis operas fossoresq; sustentantes de metallorum ortu, incremento, perfectione, aliisq; subterraneis eventis quotidiè relationes certas accipiunt, & in dubitata chymicæ projectionis documenta, vel ipsi oculis viderunt, vel ex gentilitia traditione in κειμηλιοφυλακίοις suis adhuc asservata, ceu naturæ miracula, sanctè custodiunt, multoq; verius omnia explorata habent, ta-

):(3 men

men inanis iste in pulvito speculator nō erubuit, conari contra metallicorum fossorum, scriptorumq́ catholicum perpetuumq́ testimonium ab ipsis sensibus ortum, contra philosophorum doctissimorum consensum, rationes & experimenta, tam metallorum generationem, quam artis chymicæ veritatem nullam esse insulsissimis paralogismis, ut mox in refutatione patebit, persuadere. Quin ausus est ad fidem sibi faciendam enormi vanitate & jactantia præfari in hæc verba: se in cognoscendis strophis istis sophistarum multos annos impendisse, donec per singularem (scilicet) Dei gratiam adhæc fundamenta descenderit, quibus nixus petit tandem, ut C. V. ad chymistas, quos indiscriminatim pestem nominat, profligandos omnes vires suas convertat, reliquisq́ principibus & Rebusp. autor sit similiter faciendi. At quæ temeritas viri? Credi sibi vult in ea scientia, cujus nec principium quidem novit, nec minimam partem usus habet. Fundamenta hæc, quibus superbè & iniquè in chymiam debacchatur artificesq́ temerè damnat, postea particulatim examinabuntur, sed nugamenta esse vel hinc apparet. Ait se multos jam annos in cognoscendis istis sophistarum strophis impendisse. Credimus hoc. At non in chymistarum, sed in suis ipsius sophisticis & antichymistarum nugis tantum temporis inani conatu & fructu contrivit. Quomodo enim in chymicorum philosophorum strophis aliquid nisum sit, quorum libros nullos habet, nec legit, nec citavit ullibi? nec si habet, si legit, citare potuit, quia non intelligit, ut perspicitur ex thesi sua 37? Ars nostra nullum

patitur damnum à suis paucis deliriis, quæ ipse secum suaviter domi somniavit & postea refutavit. Tunc verò pateretur, si antichymista unum saltē classicum hujus scientiæ scriptorem totidem annos in manus sumsisset & ex solidis philosophiæ fundamentis refutasset, quod tamen ad calendas Græcas fiet. Si n scit, quem eligere oporteat, propono ei Petri Boni Lombardi Ferrariensis medici margaritam. Judicat enim Hieronymus Rubeus ejus rationes hactenus inconcussas videri. Quas cum solertissimus quisq; intactas reliquerit, aut si attigit, cum dedecore relinquere coactus sit, procul dubio desperandum & antichymistæ erit. Neq; novi ego ullum eorum, qui hactenus alchymiam oppugnarunt, qui non contra solidissimè semper fuerit refutatus, & qui ad hunc lapidem quasi offensionis caput non illiserit, nihil inde nisi ludibrium apud literatos & peritos rerum pro mercede reportanda, sicut & antichymista ista noster abundantiorem meretur mercedem, quantò impudentia & calumniandi libidine longius cæteris progressus est: ubi non solum ejus inscitia & temeritas, sed etiam iniustitia & malignitas innotescit petentis sine plena veritatis, ordinariaq; causæ cognitione à magistratu artificibus talibus aqua & igni interdicendum. At contra petunt accusati benignè audiri, intereaq; furiosum suum accusatorem vinculis retineri, donec coram delecta literatorum judicum corona causam dixerint. Actum enim esset de omnibus artibus & omni planè philosophia, si ignorantium & imperitorum

judicio standum foret. Qua de causa præclare principeq; dignum facit C.V. quod non statim ad cujusvis imperiti judicium flectatur, sed quemadmodum Hannibal Phormionem illum belli rudem de ducis officio & omni re militari loquacem judicem non tulit, sed scitissimo dicterio irrisit, ita ipsa hunc alterum Phormionem in arte chymica omnis usus & rationis expertem, multoq; ignorantiorem à judicio harum rerum hactenus repulerit. Quoniam, ut Petrus Ferrariensis scribit, ignorantes tantum propterea artem alchymiæ dicunt falsam, quod obtrudunt se non vocatos, nec electos ad iudicandum de eo, de quo judicandi potentiā non habent. Nam unusquisq; benè judicat de jis, quæ novit & didicit, & eorum est bonus judex 1. ethic. Nicom. cap 3. Ergò per oppositum, nemo benè judicat de jis, quæ ignorat, & non didicit, neq; eorum penitus est bonus judex, præsertim cum iudicium operabilium in operibus causetur. Hinc Hippocrates de elegantia: καλὸν ἐκ τῦ διδαχθέντος ἔργυ λόγος: *præclara est, quæ ex opere quod quis didicit proficiscitur oratio: Hoc ipsum est, quod olim Petrus Monavius medicus Cæsareus Thomæ Era[illegible]o medico Palatino contra hanc artem disputanti objecit lib. 1. epist. medicin. Cratonis, quomodo potes inquiens, refellere hāc artem, quod non exercueris? Non versatus es* ἐν τῇ ἐγχειρήσει τῇ χυμικῇ, *quæ arcana multa prodit. Eadem super re præclarè monet Chrysostomus in epist. ad Hebræos homilia secunda, cur non magis inquiens, contemnam illos, qui nesciunt admirari, quæ digna sunt. Nam & pictor si ab omnibus irrideatur*

atq;

atq; reprehendatur dum eos in doctos perspicit, illorum verba penitus non attendit, sed solo testimonio suo contentus est. Proinde indignum esse facinus concludit contra sycophantas tales dissert. 39. Maximus Tyrius Platonicus philosophus, hac ratione, si reliquas artes omnes à vulgi tribunali sua vindicet scientia, nec gubernator, cum in suo versatur munere, navemq; ex opinione dirigit propria, imperitorum cuiq; cogatur rationem reddere; nec æquo ferat animo medicus, si ea, quæ præscribit, quæq; aut prodesse morbo, aut ad victus rationem conferre existimat, scrutetur studioseq; inquirat æger: nec figuli denique & coriarii aut si quis etiã in ignobiliori arte versetur, alium iudicem noverit, quam ipsam artem ejusvé artificem: & chymia sola quæ superior est, his omnibus, alienum atq; ignarum suarum rerum judicem ferat? Præsertim eum, quo alieniorem & absurdiorem in hac scientia intra centum annos sol non aspexit: quippe qui. 1. non solum artis, sed & naturæ principia in metallis neget, ut videre est in argumento secundo. 2. Qui asserere ausit nulla metalla generari vel crescere amplius, sed omnia omnis, nò creata in primo die creationis, ut perspicitur in argumento primo. 3. Omne aurum quod non sit creatum in primo die creationis vel esse sophisticum, vel à Satana suppositum, cujus absurditas demonstratur in decimo octavo argumento. 4. Auro non esse communem cum metallis materiam, quod in decimo quarto argumẽto refellitur. 5. Æs ex ferro factum per aquas vitriolatas non esse verum æs, sed ferrum positum, quod deliramentum in argumento

decimo quinto refutatur. Et id genus alia plura paradoxa partim, partim pseudographemata, ex quibus velut ex unguibus leonem noscere datur, quam aptum habeamus virum ad judicandum de hujusmodi rebus. Hæc sunt quæ breviter ad præfationem ejus pro alchymiæ defensione respondere volui. Cæterum, princeps illustrissime Domine Clementissime ferè abhinc biennium est, postquam amici quidam mei, artis chymicæ studiosi theoriam hanc, vel verius minimè theoriam lapidis philosophici mihi transmiserunt, nescio qua spe vel fiducia rogantes, ut quid de ea sentiam, eis exponerem, adjecto hoc, se non dubitare, quin, si laborem refutandi susciperem, multis bonis viris artisq; & filiis & patronis necnon C. V. operam sim facturus non ingratam. Quid fit? Tametsi per totum id tempus, quo in hoc studio versor (versor autem jam ultra viginti annos non quidem χρυσοποιΐας ἕνεκα, sed medicinæ potissimum) nunquam animum subjit, de meis observationibus aliquid in lucem edere: tamen victus eorum precib. recepi me refutationem scripturum, disputatione hac tum temporis obiter percursâ tantùm, nec dum plenè attentèq; perlectâ. Postea verò ut eam à capite ad calcem attentius legi & animadverti in ea nihil aliud nisi virulentam quandam maledicentiam, meraq; sophismata & nova opinionum portenta contineri, fateor, pœnitere cœpit, cogitantem, qua opportunitate justæ excusationis (præsertim multis interim occupationibus operam interrumpentibus) me ab hoc onere suscepto rursus exsolverem. Quapropter de die in

diem tergiversatus rem produxi, nō quod adeò difficilis mihi labor foret, quem videbam plus tedij quam difficultatis habiturum, sed quod tam enormia sophismata & furiosa convitia lenitate verborum permulceri nequirent; philosopho autem pariter & Christiano homine indignum censerem se cum sophistis cōviciantibus, quasi serram reciprocando ejusmodi maledicentiæ pice commaculare. Postea verò re altius mecum deliberata in mentem venit, posse eadem etiam excluso cum conviciis antichymistæ nomine, nudisq; argumentis, si qua digna essent, in medium propositis, sedato orationis genere confutari, paulatim quæstione una post alteram examinata conscripsi tres libros chymicarum quæstionum, primum de generatione metallorum, alterū de transmutatione, tertium de medicina universali, qui ultimus me ob difficultatem argumenti & eos qui sese huic medicinæ hactenus opposuerunt, hucusq; remoratus est. Postquam verò interea crebrioribus literis de promisso compellatus intellexissem de mea fide dubitari, & eosdē illos amicos meos sparso de hac re rumore, aliis magnæ autoritatis viris pro me spopondisse minimè dubitandum, quin quod semel in me recepissem, bona fide sim præstiturus: fuit hoc mihi instar classici cantus ad cōvasandum tumultuariè pauca quædā ex iis, quæ serius emittere copiosiori tractatu constituerā, non libris & capitibus, ut cœptū erat, distincta, sed argumentorū numero, in quib. ipsa verba autoris in fidē rei (ne forte essent, qui tantam absurditatē hominis non crederent) proponere cum cōviciis volui, & meā cuiq; argumento cōfutationē subnectere. Quam rē citra

acerbitatẽ verborũ & justas reprehensiones, pro eo, ut caput hoc indiget acri lixivio, persequi, ut pridẽ in altero opere volebã non potui, atq; in hoc potius amicis, quam mihimet ipsi satisferi. Sed qualiacunque sunt, ea C.V. clementer judicanda humilimè offero certa spe fretus me præ antichymista patronum habiturũ pium ac sapientẽ, qui sua autoritate hujus nobilissimæ scientiæ studiosos non solum à conviciis ignorantiũ & sycophantarum sit protecturus, sed etiã eorum studia & conatus pro virib. adjuturus & promoturus. Quid enim? Nisi, inquam, hæc ars nutricios habeat principes & magnates patronos, timendum erit, ne vel omninò ab artificibus propediẽ deseratur, vel calumniis invidorũ & ignorantiũ opprimatur. Nam privati homines, nisi fuerint è locupletissimorũ numero, tantis sumptibus, quantos ars desiderare videtur à principio ad finem usq; impares sunt, sicut haud dissimulat Geber, aperte testatus eam pauperib. inimicam esse. Et Arnoldus lib.2. Rosar. cap.5. in studioso ejus tria requiri docet, subtile ingenium, operam manuum, & arbitrium seu liberam potestatem, quod quidem requirat divitias, sapientiam & libros. Et idem in libro vitæ cap.2. ait: non esse possibile cuilibet homini hæc experiri, propterea quod tria cõtradicũt, scilicet sumptus, potestas & fama vulgi. Nisi ergò à principibus & magnatib. huic arti auxiliares porrigantur manus, vix ac ne vix quidem invenientur, qui huic studio operã sint daturi. Et licet inveniantur unus & alter fortassis, qui indefesso studio theoriæ cõsummationẽ sint assecuti, quotusquisq; tamẽ est, quẽ in hoc opere prosequendo non remorentur postea vel

ſumtus, vel functionis occupatio, vel inprimis etiam fama vulgi? Ego quidẽ in ejuſdem ſcientiæ caſtris ſub C.V. patre illuſtriſs memoriæ olim mil tavi, qui cum meam induſtriam exploratam haberet, mihi ſponte in hoc ſtudio currenti promotione & gratia ſua non minimum calcar addebat, ita ut neq́ ſumtus neq́ poteſtas deeſſe videretur. Nihilominus etſi indubitato ſciebam ad neminem alium præterquam ad medicum hujus ſcientiæ tractationẽ propriè pertinere: tamen ut ingenuè fatear, neſcio quo timore inter alia nonnulla fatalia, quæ me ab hoc propoſito retraxerunt, nihil magis abſterrebat, quã fama vulgi. Quæ etiam cauſa fuit, cur occaſionem nactus, loco mutato me ad ſolius uſitatæ profeſſæq́ medicinæ munia receperim. Tum .n. proprio malo experſus ſum artem hanc nõ pati ſe coram vulgo & publicè tractari, ſed quicquid ejus eſt in ſilentio & ſpe tranſigendum, id quod ſuo exemplo Treviſanus & Zacharius atq́ cæteri omnes philoſophi ſcriptis declarant; Alioqui non dubito, quin ſi non ad ſummum ſcopum, tamen ad medicinam, qua contentus forẽ in meo munere dudũ pertingere potuiſſẽ. Quod cum ex impedimentis meis hactenus præcipuũ ſenſerim, ne & aliis bonis viris & amicis meis idem eveniat tãto maiori conatu ſycophantiæ antichymiſtæ iſtius auræ popularis captatoris obviam eundũ cenſui; quanto magis ille fama vulgi nixus philoſophis & inprimis amicis atq́ ſympatriotis meis apud principes & magnates invidiã concitare, infamiã cõflare & exiliũ etiã intẽtare conatus eſt diſputatione ſua, quã ſi ſolũ intra limites ſcholæ exercendã ju-

ven-

ventutis gratiâ discussisset, fortassis nõ esset, cur iste res succenderetur, sed quia (more, non aliũ pari fato mathematici illius è balneo prosilientis cum suo εὕρηκα) de pulpito furiosus in curiam procurrit, omnes bonos artifices mendacius traducit, aqua & igni prohibendos clamat, ab Academia prorumpit & succendere omnia atq; evertere nititur, pro merito inhibendus & tractandus est, ut innocentes & boni viri ab ejus furore defendantur. Sanè domestici quotquot sumus omnes & singuli parvi & magni hac lege & officio obligamur, ut si qua parte domus paterni ab insidiantib. immissus est ignis, pedibus manibusq; celeres ad extinguendum incendium aquã cõportemus. Hic incendiarius patrio laboratorio igni subditorum machinatur, ejusq; incolis amicis meis & sympatriotis nihil aliud nisi exiliũ inflatis buccis minabundus spirat: pro paternis focis quib. olim usus fueram, aquã comportandã, pro amicis opem implorantib. viriliter depugnandum. Quamvis enim pro eo, ut res meæ ferunt, diutius & longius ab ijsdem absim, nondum tamen amorẽ, quem quisque patriæ & amicis debet, omninò deposui; sed compellatus de officio, si quod in hac re præstare valeam, præclarum illud Platonis religiosè mihi colendum censui, monentis: nos non solum nobis natos, sed partem sibi patriam vendicare, partem amicos. Quanquam interim videor mihi audire non tam manifestas præfantis antuhymistæ, quàm nescio quas clandestinas voces quorundã sciolorum, tam ex idiotarũ quàm ex eorum grege, qui literati esse volunt, ibidem obmurmurantium:

dium: nunquid tu conaris hanc artem principum auribus ingerere & persuadere, cuius contrarium potius facere deberes, si patriam amas, ad parcendum sumptibus non necessarijs Quibus respondeo Sicut nihil pulchrius cognitione veritatis; ita nihil turpius ignorantiâ. An tu, ô sciole, censes nihil conferre ad ornamenta regum & principũ, cùm in alijs plerisq; rebus; tum in hac parte philosophiæ constantẽ & exactam habere scientiam, nihilq; dubitare. Ego veritatem etiam aureis coronis præferendam censeo, quam pro ingenij tenuitate non aliter ac natura rei & ipsa necessitas flagitat, adversus sophistã & calumniatorem assero; & philosophi more demonstro; cui si quis assentitur, veritati invictæ (quã vim divinitus sortita est) palmam; nec mihi culpã tribue. Quamvis nec in hoc negotio dissimulari queat, metallariam & alchymiam pari gradu in regalibus incidere, num & tu in metallifodinas nihil impendendum regibus & principib. sana mente cõsulis? Quos sumptus dicas non necessarios, non satis assequor, cum eadem ars fructũ non careat; sed ex se circa res naturales honestam oblectationem, & optima medicamenta exhibeat. Et si sumptus non necessarios rationibus in unum collatis, computaveris; invenies profectò posse hos aliorum multorũ respectu magis necessarios dici; imò etiam ita parsimoniam rationabilem institui, ut hi sumptus minimè sentiantur. Quare explodenda est tota antichymistæ præfatio cũ obmurmurationib. istius ignorantium & sciolorum, & potius veritati insistendũ cogitandumq;, quod Geber de eiusmodi imperito-

rum

rũ immaturo & imbecilli judicio scripsit lib.1. summæ perf. c.10. Loquuntur inquiens, de hac re, sicut puer, qui à principio nativitatis suæ usq; ad senectutẽ in domo cõcluditur, non putans mundi latitudinẽ extendi ultra suæ domus spaciũ vel ultra quã oculo possit in domo cõspicere. Hæc illustrißime princeps Domine Clementißime pro veritate artis chymicæ contra novum ejus hostẽ & calumniatorẽ necessariò prolixius præfanda erant; ut eò dilucidius pateret, quomodo corã tribunali illustrißimorũ imperii principũ, coram quo præfatione suâ temeraria chymicos capitaliter accusavit, os impudens viri, in quo nihil solidæ eruditionis per totã disputationem elucet, obtundi poßit, & simul C. V. ex hoc conflictu veritatis fundamentis perspectis autor sit potius aliis principib. & rebusp. bonos chymiæ artifices suâ gratia fovendi & protegendi, quã expellendi. Quam operã meã si C. V. placere intellexero, nihil mihi optatius contingere poterit & idipsum calcar erit ad plenius opus, de quo hoc extractum esse supra dixi, unâ cum aliis sub C. V. illustrißimo nomine & patrocinio in lucem emittendũ. Itaq; C. V. humiliter oro ut præsens opusculũ vultu sereno suscipere, meq; clientẽ sua gratia & favore complecti clementißimè dignetur. Deus Opt. Max. C. V. cũ illustrißima familia totaq; domo Wirtembergica florentem diu incolumem atq; superstitem conservet ac tueatur Cal. Maij Anno 1616. Oringæ.

C. V.

Subjectissimus

Johannes Cunradus Gerhard. D.

EXTRACTVM CHYMICARUM QVÆSTIONVM SIVE RESPONSIONIS AD THEORIAM Lapidis Philoſophici in Academia Regiomontana editam à quodam ibidem Antichymiſta.

I. Argumentum in forma dilemmatis. theſ. 10.



LCHYMIA non eſt ars vera, quoniam ſi eſſet ars aliqua vera aurificij, ea aut generationi naturę analoga eſſe debet, aut creationi, id eſt, aut naturam imitabitur in generatione auri, aut divinam creationem *theſ. 10.* Sed neutram imitari poteſt. Ergò Alchymia non eſt ars vera.

Reſponſio.

Quamvis dilemma nihil neceſſariò concludat, cùm tertium quiddam in arte hac detur, quo neque naturam in generatione metallorum, neque Deum in creationis opificio omninò imitamur, ſed utrumque ex parte tantum & ut poſſumus: tamen audiemus quomodo aſſumptionem probaturus ſit antichymiſta.

Prosyllogismus ad primam partem assumptionis probandam.

ARs naturam non potest in generatione auri imitari, quia nulla metalla amplius à natura generantur, sed ea omnia in primo statim creationis die simul sunt creata cum terra *thes. 5.* Quomodo ergò ars naturam imitabitur? Antecedens rursus probat *thesi 6.* Quicquid à natura generatur, eius generationis vim seu potentiam natura statim in principio creationis per expressum verbum benedictionis accepit. Sed ex Mose certò constat terræ huiusmodi vim generandi à Deo inditam non esse, cum nullius talis mandati meminerit, quo terræ metallorum generatio imperetur, quemadmodum verbum mandati atque benedictionis accepit de generatione stirpium atq; animalium unà cum aquis. Ergò metalla à natura non generantur.

Responsio.

Tota minoris probatio falsa est impingens manifestè in regulam καθ' αὐτὸ, qua prohibetur transcendi genus atque physica physicis, & non heterogeneis principiis, literisque divinis male detortis demonstrari jubentur. Mosis enim intentio nunquam fuit, omnia, quæ Deus in creatione instituerat singillatim narrando percensere, sed quantum ad fidem nostram satis erat. Quoniam hinc sequeretur, 1. nec elementorum quoque ex se invicem esse à Deo institutam generationem, quo-

quoniam nec huius Moses meminit: 2. pariter nec metallorum factam esse creationem, quia metallorum creatio non minus à Mose reticetur, quàm generatio; contra quam *thesi 5.* asserit antichymist[illegible] 3. manifestum crimen falsi in scripturam committitur, quando dicit ex Mose certò constare huiusmodi vim generandi metalla terræ inditam non esse. Siquidem Moses mox 2. *capit. Genes.* mentionem facit generationis auri, ubi expressis verbis scribit, aurum nasci, inquiens: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigendum paradysum, qui inde dividitur in quatuor capita; nomen uni Phison, qui circuit omnem terram Evilath, ubi nascitur aurum.* 4. rationi & ipsis physicis principiis è diametro adversatur, corpora metallica non generari. Siquidem in sublunari regione darentur corpora quædam naturalia, ex elementis composita, quæ non essent mutationi, quæ præcipuè in generatione & corruptione consistit, obnoxia: id quod est contra proprium πάθος corporis naturalis. Deinde scribit Aristoteles *libr. 1. de cœlo, capit. 12.* τὸ γενητὸν καὶ φθαρτὸν ἀκολουθοῦσιν ἀλλήλοις. Metalla autem sunt φθαρτὰ omnia per se à natura (præter aurum, quod per accidens tantum corrumpitur non à natura per se.) Videmus enim corrumpi metalla in igne & extra ignem, ut ferrum ferugine, æs ærugine, &c. Ergò metalla sunt generabilia. 5. repugnat sensui & manifestæ experientiæ. Aurum Corbachianum in Westphalia crescit &

recreſcit in cumulis ſingulis quadriennijs. Sic argentum in cumulis plumbi cinerei, ubi prius nullum inerat argentum, certo tempore maturatur & perficitur. Item vena plumbi in Sclavonia quadrageſimo anno tranſit in argentum: ſquamæ æris in arena ſicca anno trigeſimo in aurum. Ferrum in Lygijs ad Sagam oppidum decennio renatum denuò foditur; non aliter ac Ilvæ ferrũ, quæ eſt Italiæ inſula in mari Tyrrheno. In Miſnia limus ruber paluſtris quinquennio, in Suecia ſimilis limus uno anno ſoli expoſitus in bonũ ferrum abit. Idem in cumulis ex lapide fiſſili uſu venit circa ærifodinas Mansfeldiæ, ubi æs ſimiliter maturatur & renaſcitur. Feſularum mons in Hetruria lapides plumbarios habet, qui ſi excidãtur, brevi temporis ſpacio novis inſtaurantur incrementis, ut tradit Boccatius Certaldus, qui id compertiſſimũ eſſe ſcribit. Plinius *lib 34. cap 17.* prodidit: mirum in his ſolis plumbi metallis, quod derelicta fertilius reviviſcunt. Sed nos videmus id non in ſolis plumbi, ſed in omnibus metallis uſu venire. Proprium vero ſolius plumbi eſt extra mineram ſemper augeri, ut Galenus *lib. 9. de facultatibus medicament.* ſcriptum reliquit his verbis: *Omnium quæ novimus unicum plumbum tum mola tum pondere augetur, ſi condatur in ædibus ſubterraneis aërem habentibus turbidum.* Tum etiam plumbea ſtatuarum vincula, quibus earum pedes annectuntur, ſæpènumero creviſſe viſum eſt, & quædam adeò intumuiſſe, ut ex lapidibus dependerent cryſtalli modo verrucæ. Hoc quod Galenus recitat,

adeò

adeò verum eſt,ut etiam metallici ſcriptores atteſtentur plumbea tecta ædium magnificarum multò graviora multis pòſt annis inveniri ab iis qui pondus notarint,atque adeò quidem,ut ea perſæpè propter nimiam gravitatem æneis permutare neceſſe ſit. Sufficienti igitur inductione patet metalla adhuc ſemper à natura gigni,& turpiſſimum eſſe metallicæ ſcientiæ pſeudographema,opinari, omnia metalla in totum in principio eſſe creata. Sed eſto metalla non generari: ars alchymiæ tamē non ſubverteretur: quia non conatur alchymia generare metalla, ſed tantum tranſmutare unum in aliud,ſive illud à Deo creatum ſive à natura generatum ante fuerit. Sicut ruſticus Schemnizenſis accipit ferrum & ponit in Zepuſij fontem donec illud tranſmutetur in mineram æris parùm curans utrum ferrum & fons ille vitriolatus creata fuerint an generata: & plantator inſerit arte ſua ſurculum ſtipiti, arborem in meliorem & quamlibet ſpeciem transplantaturus nihil recogitans quocūq; ſurculus & ſtipes ortu ad manus pervenerint.

Prolepſis ad prius membrum dilemmatis ſive primi argumenti. theſ.38.39.

SEd aurum à natura generari probare conantur ex eo: cum ad fodinas interdum in cumulis lapidum olim congeſtis reperiatur aurum, interea à ſtellarum radiis elaboratum; alias enim rejectum non fuiſſet, ſi perfectum tum fuiſſet. Reſpondeo, 1. illos ipſos lapides non olim id auri in ſe continuiſſe: 2. Item mirum non eſt in copioſis

atque fructuosis fodinis ea reijci, quæ vis operæ pretium sunt, idemque longis pòst temporibus ab egentibus colligi, ut tanquam ex Spicilegio ijdem inde rem faciant. 3. probent stellis vim inesse aurificam: Si radij lucis cœlestis non aurificant sub terra (quod ex eo constat, quod eorum vis per tanta saxa penetrare non possit) nec super terram aurificabunt.

Responsio.

In cumulis mineralibus crudis & excoctis metallo vacuis propè fodinas suas renasci certo temporis spacio non tàm aurum, quàm alia metalla, ut argentum, æs, plumbum, ferrum, &c supra per evidentem experientiam ostensum est. Ablegamus igitur absurdum istum antichymistam ad metalla Westphaliæ, Ungariæ, Misniæ, Palatinatus superioris, Silesiæ, Sueciæ & Italiæ, donec sapiat & didicerit, quod adhuc turpiter ignorat. Vel legat (qui hactenus ad suas inanes & multennes post fornacem speculationes lapidis nullum, ut animadverto, metallicum scriptorem legit aut vidit) saltem Cæsalpinum, qui *libr. 3. capit. 6. de metallis* refert; terram erutam (inanem metalli quam vocant den Kummer) dum vena effoditur, totam procedente tempore in venam converti. Neque id solum in metallis contingit, sed in mineralibus quoque. Sulfuris vena quadriennio se reparat, ut scribit Fallopius *lib. de thermis, cap 5.* Terra detracto halinitro in cumulum redacta post 5. aut 6. annos copiosius fœnus reddit, ut tradit Car-

danus

danus *libr. 5. de subtilit.* neque Scaliger inficiatur. In Ormeno monte Indiæ ſal nativus lapicidinarum modo cæditur renaſcens Cæſalp.*l. b.1. de met. cap.16.* Quis ergò nunc dubitet de generatione vel regeneratione auri, quæ in hoc non eſt diverſa ab aliorum metallorum vel mineralium ortu: & ſicut nihil ferri ineſt cumulis Ilvæ, fit autem ferrum ſuo tempore, ita nec auri quicquam cumulis Corbachianis quando excocti fuerint, donec rurſus progreſſu temporis imprægnentur. Quando igitur quærit, unde probemus illos lapides in cumulis non olim id auri in ſe continuiſſe, reſpondetur ei; non aliunde niſi examine penigurem: In hoc enim fit exploratio exactiſſima per juratos probatores ad grana uſque minima, ut ne unũ quidem in ſcoriis relinquatur poſt ſeparationem à recrementis, quæ vocant den ſönder. Sed antichymiſta reſpondendo ſeipſum refutat. Si enim in copioſis atque fructuoſis fodinis talia quædam operæ pretium non reddentia reijciuntur, quid eſt quod pauperes foſſores non mox à rejectione illa Spicilegium faciunt? cur tot annos differunt illam collectionẽ? ſicut ipſe antichymiſta dicit longis pòſt temporibus ab illis demum colligi, ut iidem inde rem faciant. Stulti eſſent (ſi antichymiſtæ verba vera ſunt) quod non potius rem facerent è re præſenti, quam quod tot annos exſpectant demum in cumulis auri repullulationem. Quod tertiò petit à nobis probari, ſtellis vim ineſſe aurificam, reſpondeo facilimè id probari, primò ex

Aristotelicis rationibus, qui *lib. 2. de ortu & interitu cap. 10.* docet, cœli motum qui est propter lationem astrorum esse causam generationis omnium rerum. Si omnium rerum sanè etiam metallorum. Similiter *1. meteor. cap. 1. & 4.* omnium mixtorum duas causas ponit materiam scilicet & efficientem, quorum illud cœlum, hæc elementa sunt. Metalla autem *libr. 3. meteor. cap. ult.* accensentur mixtis. Secundò experientia, dum certo tempore tales cumuli expositi radiis solis & astrorum rursus metallis suis impraegnantur, ut suprà modo dictū, cuius rei adhuc multò evidentissimum exemplum est, quod Avicenna refert ære ferroq; pluisse, & Scaliger de subtilit. ex. 323. tribus circiter annis antequàm provincia Taurinorum à rege Galliæ recepta esset pluisse ferro multis in locis, cujus frustum apud se sit. Concretio hæc metalli in nubibus generata ante nubes non fuit, aut si fuit, quærit ibidem Scaliger, ex qua fodina ferrum illud sublatū fuerit in nubes. Astra sunt causa nubium. Ergò etiam eorum, quæ generantur cum & in nubibus, ut sunt ferrum, lapides & alia. Quando igitur antichymista negat radios astrorum aurificare sub terra ob impossibilitatem penetrationis per tanta saxa, & hinc infert, nec supra terram aurificare, id in ipsum retorquetur hoc modo: Si astra supra terram ferrificant, etiam infra terram ferrificare queunt. Atqui nunc demonstratum est astra in nubibus ferrificare, idemq; in superficie terræ in cumulis fieri. Ergò astra etiam infra terram ferrificant, & per consequens si ferrificare, etiam aurifi-

care poſſunt. Nam verius proceditur ab iis, quæ fiunt coram oculis ſupra terram, quàm quæ in tenebris fiunt infra terram ad concludendam hãc theſin. Demonſtrationis enim proceſſus legitimus eſt à manifeſtis ad obſcuriora, nec è contra. Quod autem negat vim radiorum per tanta ſaxa penetrare poſſe, prçter id quod calor ſolis per antiperiſtaſin, ut videmus in hyeme, ad intima terræ penetrare poteſt, ut Cæſalpinus probat; audiat Scaligerum rectius de hac re diſſerentem. Quæritur (*inquit comm. in lib. 1. de plantis*) quantum ſolis vis ſubire terram valeat. Nam neque lumen eò delabitur, quod alioqui vehiculum peripatetici ſtatuunt cœleſtium affectionum, neque in telluris parte intima ſentitur calor ullus à ſole. Et mox infrà: In metallis omnia ſine ſolis admiſſu generantur. Intelligo nunc & lumen & calorẽ, quorum utrũq; cum peripateticis ſiderum inſtrumentum appellant. Cum tamen aliter ab acutioribus diſputetur: nihil enim rerum in intimis terræ finibus gereretur. Verum quemadmodum ultra pellucida corpora tranſmittitur lux, unde nomen eſt eis comparatum: ita per non translucida vis illa ſeſe inſinuat, ac penetrat, quæ luce ipſa multò eſt efficacior. Tollit ſimul cum dubitatióne probandi curam quotidianum magnetis exemplum, ad cuius motum ſub menſa movetur ferrum penſile. Nec propterea delentur eorum placita, qui ſine ſubjecta materia formam negant poſſe agere. Vis enim cœleſtis illa per lumen delata huc afficit terræ ſuperficiem: ea affecta proximam ſibi partem mu-

tat æquè, dum ad certa loca destinetur. Sicut ab eodem lapide ferrum non attactum agitatur. Hìc Scaliger exemplo magnetis penetrationem radiorum per tanta saxa possibilem apposité declarat, quem subtilitatis doctorem, si antichymista prius legisset, quam hanc suam phantasticam theoriam thesibus evulgasset, suam stupiditatem & ruditatem in rebus physicis non ita omnibus prodidisset. Non enim dubium est, quin si singula compassi poneretur in ipso centro terræ, & tota terra esset saxea, nihilo secius moveretur ad arcton stellam illam suam, unde vim mobilem & motivam sortita est. Palam itaq; est saxorum objectu vires astrorum influentium in terra nequaquam infringi. Unde facilè intelligi potest illud quod ex Ptolemæo adducit Albertus *lib. 3 de mineral. tract.* 1. *cap.t.* 10. locus generat locatum per proprietates cœli, quæ influunt ei per radios stellarum: In nullo enim loco elementi inveniuntur radii omnium stellarum, nisi in terra, eò quod ipsa est insensibile centrum totius cœlestis sphæræ. Maxima autem est virtus radiorum in loco, ubi uniuntur omnes, & ideò terra mirabilium & multarum rerum est productiva.

Prosyllogismus ad secundam partem assumptionis probandam.

THes. 11. Aurifices itaque creationem se imitari posse autumant huiusmodi coniecturâ: Quemadmodum Deus elementa primum creavit; deinde ex elementorũ exquisitissima mixtione cor-

ne cor-

ne corpora elementaria composita: ita prius metalla in sua principia prima resolvi, deinde componi debere. Sed hoc fieri nequit: 1. cum natura in generatione nullam resolutionē moliatur in principiis, sed attrahat & id quod attractum est, disponat. 2. Quis revelavit *thes.12.* novis istis creatoribus imperscrutabilem illā soliq; divinæ sapiētiæ reservatā rationem principiorum metallicorum, cuiusmodi illa sint, ex quibus creatio divina facta est, item resolutionem in principia, principiorum mixtionem proportionalem. Nam licet *thes.63.* metalla possent arte resolvi, in sua principia, quænam vis atque facultas illa tandem iterum tam scitè miscebit, tamque arctè uniet, ut in creatione à Deo factum est. Item *thesi* 7. quærit, ubinam locorum animadversus sit huiusmodi calor actualis metallorum concoctioni sufficiens cuiusmodi in fornacibus suis requirunt aurifices?

Responsio.

Calumnia, qua Antichymista artifices ex phantasiæ suæ pravitate ad invidiam illis apud idiotas & sui similes artis ignaros conciliandam creatores vocat, liquidissimè apparebit si consideremus, quid creator sit propriè & creare, item qualis generatio naturæ sit quam artifex imitetur. Scribit Lombardus *libr.2.sentent.dist.*1. Creator est qui de nihilo aliquid facit, & creare propriè est de nihilo aliquid facere. Facere verò non modo de nihilo aliquid operari, sed etiam de materia. Unde & homo & angelus dicitur aliquid facere, sed non creare, vocaturq; factor seu artifex, sed nō creator.

Hoc

Hoc enim nomen ſoli Deo propriè congruit, qui & de nihilo quædam & de aliquo aliqua facit. Ipſe ergo eſt creator & opifex & factor, ſed creationis nomen ſibi propriè retinuit, reliqua duo etiam creaturis communicavit. Cum Lombardus hic dicit, qui & de nihilo quædam, & de aliquo aliqua facit, notanda eſt diſtinctio creationis in totalem & partialem. Illa ut Scaliger definit. de ſubtil. ex. 6. eſt conſtitutio ſubſtantiæ è nihilo, nec materia nec forma præexiſtente; qualis erat creatio mundi in principio. Hæc verò quando aliquid ex remota materia præter ſupraque ordinem naturæ fit; nihil in exiſtente de forma, qualis creatio erat, quæ cæteris ſex diebus facta eſt, & qualis adhuc fit per miracula, quomodo ex aqua vinum fecit Salvator, & Deus ex lapidibus panes vel homines ſuſcitare poſſet, & quomodo Johannes Evangeliſta, ut in vita eius legitur, ex lapidibus gemmas, & ex virgis aurum fecit. Generatio naturalis etiam duobus modis fit, & ex materia remota & ex propinqua: quarum illam æquivocam, hanc univocam dicimus. Illa poteſt congruere cum creatione ſecundi modi, ſed in hoc differt, quod in creatione aliquid fit ſubitò, ſolo verbo, vel aliis mediis non naturalibus: talis rei generatio non fit niſi multo tempore, à cauſis naturalibus & intervenientibus multis alternationibus. Creationem ſimpliciter, non ſolum nullus artifex, ſed ne natura quidem imitatur, ſecundum axioma illud Philoſophorum: ex nihilo nihil fit: creationem quæ ex parte eſt, natura quidem imitatur, ſed longè aliis modis & mediis;

diis; artifex autem imitari nequaquam valet, qui non poteſt facere ex quolibet quodlibet, ut docet Roſarium, ſed determinatum ex determinato, id eſt, ut alius dicit, non poteſt materiæ remotæ primas dare formas. Quando igitur dicitur Chymia naturam imitari quartus tantum modus, qui fit ex propinquis principiis, excluſis tribus priorib. creationis & generationis modis intelligitur. Igitur calumnioſè & mẽdaciter antichymiſta artifices nominat creatores, cum ij aurum vel tincturam ſuã, neque ex nihilo, neque ex remota ſive quacunque materia, neque ex primis principiis vel elementis facere conentur, ſed teſte Paracelſo ex metallis in metallis, cum metallis & per metalla. Quando autem Philoſophi præcipiũt metalla in principia ſua reſolvere, antichymiſta verò interpretatur, quaſi præcipiant ea non in ſua propinqua, ſed in principia & elementa illa communia mundi & remota, ex quibus Deus vel natura primitùs ipſa compoſuit, reſolvere, & deinde rurſus componere, turpem ignorationẽ ſuam elenchi prodit, ſeq; ipſum & alios fallit fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Nam etſi ſubjectum noſtrum tàm agens, quàm patiens reſolvimus diverſo modo in ſua principia ſeu materiam primam, tamen utriuſque reſolutione non pervenimus ita remotè ad elementa uſque mundi, ex quibus initio aurũ divina creatione vel naturali generatione fuit compoſitum. Id quod teſtantur Bernhardus Comes, Dionyſius Zacharius, Petrus Ferrarienſis, Ægidius de Vadis, & Richardus in correctorio anti-

antichymiſtarum. Si enim ita reſolveremus, amitteretur tam genus metalli, quàm ſpecies, & nihil efficeremus, quoniam non eſt in poteſtate noſtrâ tali elementorum compoſitioni remotæ formas infundere, ſicut Deus vel natura infundit. Quare Antichymiſta poſtea *theſ.* 12. abſurdiſſimè rurſus extra ſcopum quærit, quis revelaverit novis iſtis creatoribus imperſcrutabilem illam ſolique ſapientiæ divinæ reſervatam rationem principiorum metallicorũ & cuiuſmodi illa ſint, ex quibus creatio divina facta eſt, item eorum mixtionem proportionalem. Nam nunquam voluimus, neque etiam poſſumus, inquit Geber, vel Dei creationẽ vel naturæ generationem in primis principiis ſequi, nec in proportione miſcibilium elementorũ, nec in modo mixtionis ipſorum ad invicem, nec in æquatione caloris inſpiſſantis, cum hęc omnia ſint nobis impoſſibilia & penitus ignota. Ideoque dicente Gebro, in hoc Antichymiſta cum cæteris errat, quod naturam in omnibus proprietatum actionibus imitari deſiderant, ſed aliud ad hoc nobis principium, aliumque generationis modum aſſumimus, in quibus naturam ſequi poſſumus. Theoria itaque principiorum nobis neceſſaria eſt, quibus tranſmutemus ſpecies, non quibus generemus genus, quoniam intentio noſtra non eſt metalla de novo componendo generare, ſed à natura compoſita jam & generata ſolum modo tranſmutare. Et huius diverſitatis ſuprà exemplum dedimus in ærifice & plantatore, qui uterque non generat res de novo, ſed tantum generata tranſmutat ſine cogitione

cognitione principiorum primæ generationis: Quod autem contra resolutionem metallorum in sua principia addit metalla non esse resolvenda in sua principia, quia natura in generatione nullam resolutionem talem in principia moliatur, sed tãtum attrahat & id quod attractum est, disponat, secum ipse digladiatur. 1. quia sui oblitus partes quas supra dilemmate separavit de generatione & creatione nunc rursus confundit. 2. Quia *thesi* 42. in generatione naturali & substantiarum transmutatione requirit prioris formæ abolitionem & novæ introductionem, ubi certè prioris formæ, quod erat compositi alterum principium seu pars substantialis, fit resolutio & separatio, novæque introductio. 3. Antichymistæ falsa thesis ab ipso Salvatore refellitur *Johan.12.vers.*24. dicente: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Quo significat, nisi granum prius putrefactum in terra, id est, in sua principia perditâ priori formâ resolutum fuerit, non fieri naturali generatione eius multiplicationem. Corpore grani resoluto per putrefactionem spiritus liberatus à corporeis vinculis in centro grani colligitur generativus, qui postea extrudit germen ad novam generationem, tum demũ fit attractio nutrimẽti & dispositio. Sic etiã in nostro opere fit, ubi per putrefactionem lapis in sua principia resolvitur, inde germẽ illud satis cẽtralis progeneratur, quod postea suo nutrimẽto paulatim fovẽdũ & augmẽtãdũ est Substãtiæ generatio prior est accretione & alteratiõe cæterisq; motib.

Absur-

Absurdè igitur opinatur in generationib. omnium rerum initio statim nihil aliud fieri, quàm attractionem & alimenti dispositionem. Ita resoluta quoq; jam est principalis syllogismi phantasia antichymistæ de lapide philosophico in sua principia, id est, in οὐδενότητα, quæ fuit ante nihil. Quod verò scire cupit *thesi 63.* quænam vis & facultas metalla soluta tàm scitè iterum mixtura; tamque arctè unitura sit, ut prius; Respondeo, natura, quæ Dei dicitur potestas à Scaligero, & plasticam istam facultatem atque λόγους formativos in rerum creatione accepit à Spiritu illo, de quo Marsilius Ficinus *cap. 9. artis Chymicæ* scribit: *Nonne Spiritus Domini, qui est amor igneus, cum ferebatur super aquas, indidit eisdem igneum quendam vigorem, cum nihil sine calore generari possit? Hic est ligamentum elementorum, virtusq; commiscendi, quæ in qualibet re mundi sublunaris elementorum mixtiones efficit.* Hæc Marsilius. Sed quia ignis per se agit indeterminatè, ut docet Aristot. 2. *de anima, cap. 4.* non id accipiendum est de igni simpliciter elementari, quod is per se misceat, uniatque; sed dè eo, qui respondet cœlesti, & est vehiculum suæ formæ, ille est ut Alexander *in epistola* dicit, qui totum dirigit opus, & complet, & est anima corpori coniuncta, quæ unit & gignit. Rectè enim de elementari quærit Scaliger *comment. in 2. de plant.* inquiens: *Si ignis unit elementa tria, tanquam partes in plantis, quid erit, quod uniat ipsum ignem tribus illis?* & respondet, *forma, quæ est potior natura, 2. physic. cap. 1.* Nam ideo Aristoteles

lib. 2.

lib.2.de ort.& inter. succenset veteribus, qui amota forma eius officio ac naturæ substituissent ignẽ: ἐξαιροῦντες τὸ τί ἦν εἶναι, καὶ τὴν μορφήν. *At verò*, inquit, τὸ θερμὸν πέφυκε διακρίνειν, τὸ ψυχρὸν συνιστάναι. *Nam generatio & concretio est ex alienigenis, quæ dicimus* τῶν ἀλλοφύλων: *non autem è congeneribus, quæ* ὁμόφυλα *vocant. Ergò cum ignis opera nequeant* ἀλλόφυλα συνορίζεσαι (διακρίνει γὰρ ἀλλόφυλα) *per ignem non fit coitio, & unio ad generationem in* Aristotelis *officina.* Hæc Scaliger. Dicimus igitur mixtionem & unionem solutorum metallorum fieri à naturâ propriâ rei, sive formâ per ignem, seu calorem internum adjutâ nostro igne artificiali externo: qua in re ut formã seu speciem conservemus sedulò monent philosophi, cavendum ab intensione ignis ante terminum, ne arcanum fumiget, ne acetum in fumum vertatur, ne Rex & uxor sua nimio fugentur igne, ne materia vitrificetur, & cum formà omnis operatio, mixtio, unio, multiplicatio & tinctura pereat. Itaq; non minus artifex, qui naturæ miscenti unienti que extrinsecus administrat. (Zosimus: ὁ πᾶς σύνδεσμος ἄνευ μεθόδου οὐ γίνεται: *tota conjunctio sine methodo non fit*) cognitum habere debet pondus miscendorum, mensuram temporis, quantitatem vasis & modos ignis, ut sciat quid natura ferat, quid respuat: id quod præcipuum est secretum artis huius, nec derisori, nec antichymistæ alicui duræ cervicis revelandum. Sic enim, auctore Gratiano in suo tractatu de elixire, quod natura conjũxit, ars separat, & quod ars conjungit, natura se-

B pa-

parat, q aũt ars separat, sola natura cõiungit, & q naturaliter distat, ars cõiungit imitãdo naturã, nõ subitò, & hoc est artis huius secretum. Itaq; in hoc opere, ut Lombardus docet, hæc duo distinctè cõsideranda sunt, scilicet natura agens, & ars ministrans. Si consideremus ex parte naturæ agentis, dicimus quod totum opus est naturale, quia naturæ est illa, quæ decoquendo appetit, retinet, digerit & expellit, & permiscet, & corrumpit, & generat, & informat præcepto Dei benedicti & gloriosi suo tempore lapidẽ antedictũ, & hoc lapide natura informat metalla per ipsorũ commixtionem. Si aũt consideramus ex parte ministrationis: tunc opus hoc est artificiale, non quia ars generet, & corrumpat, & informet, sed solũ ministret naturæ operanti totũ hoc. Natura.n.sola non efficax est in talib. per se, nisi ars sibi ministret. Propterea eo modo quo ars ministrat naturæ, eo modo operatur natura, si benè, benè, sin aũt malè, malè. Tota igitur operatio ratione generationis & mixtionis est naturalis. Ratione autem ministrationis est artificialis, sicut patet in decoctione ciborum.

II. Argumentum contra compositionem & resolutionem metallorum in sua principia.

SI nulla principia dantur metallorum metallis communia, tunc neque datur resolutio in eadem, & nova ex ijs compositio.

Sed prius verum. Ergò & posterius.

Minorem probat 1. quia Chymici cõmune sulfur & hydrargyrũ cõmunia metallorũ principia pro-

probant ex eo, quoniam cum omnib. metallis cō-
juncta reperiuntur. Ex quo similiter concludit: er-
gò metallorum quoq; principia sunt terrę lapides
calcanthum pyrites, metallum metalli, sulfur hy-
drargyri & vicissim. 2. Quia sulfur nec ratione
pinguedinis suæ, nec igneæ naturæ suæ dat metal-
lorū coagulū, formam aut materiā, sed tantum re-
solvit, ac tollit: hydrargyrum verò ob uniformi-
tatem suam non potest esse distinctorum metal-
lorū materia: cum non habeat partes dissimiles, ex
quibus hoc vel illud metallum paratur. *thes.13.*

Responsio.

Primo paralogismus est ex quatuor terminis.
Nam aliud est coniunctum sive unū esse substan-
tia, ut est compositū ex sua materia & forma, vel
mixtum ex elementis: aliud unum per accidens, ut
est acervus tritici vel hordei, cementum cū calce
& arena. Dicunt Chymici cum omnibus metallis
coniuncta reperiri sulfur & hydrargyrum unione
seu mixtione substantiali per minima non apposi-
tione partium qualicunq; accidentali, ut antichy-
mista falsò affingit. Accidentalem heterogeneo-
rum in metallis coniunctionem si non separat o-
culus, separat ignis: post cuius examen substantia-
lia principia cum metallo manent heterogeneis
semotis. Unde coniugium solis & lunæ *l. b. 3.* lapi-
des & terra sunt locus generationis metallorum,
sed non sunt materia conveniens ad commixtio-
nem eorum. Ideò ab ipsis separatur metallum, ut
ab incongruo & heterogeneo. Ignis enim hetero-
genea separat, & homogenea congregat.

Secundò quod ait ſulfur nec ratione pinguedinis ſuæ, nec ratione naturæ igneæ dare metallorum coagulum formam & materiam, reſpondeo ex Geb. *libr.* 3. *ſum. perf. cap.* 7. per diſtinctionem, nempe duplicem eſſe in metallicis corporibus ſulfureitatem: unam quidem ſubſtantialem in profundo argenti vivi concluſam in principio commixtionis: alteram verò ſupervenientem ſeu accidentalem. Ignorat autem antichymiſta metallis tale duplex ineſſe ſulfur intrinſecum & extrinſecum: hoc comburere & reſolvere per accidens: illud verò minimè. Sulfur enim auri neque reſolvit aurum neque tollit, quantocunque tempore teneatur in igne. Concedo itaque ſulfur extraneum non eſſe auri coagulum vel formam: falsò tamen negat ſulfur eſſe coagulum vel formam cæterorum metallorum imperfectorum: quorum ob idipſum, quod ſulfure extrinſeco in ſpeciem metalli coagulata ſunt, eis proprium eſt igne reſolvi ac conſumi velocius vel tardius ſecundum ſulfuris extrinſeci maiorem vel minorem quantitatem in ipſis exiſtentem, ut docet Geber *libr.* 3. *ſum. perf. cap.* 4.

Tertiò quod addit de hydrargyro quaſi ob uniformitatem ſuam non poſſit eſſe diſtinctorum metallorum materia tantum abeſt à vero, ut potius invertenda ſit ratio, & dicendum, quin ob ipſam uniformitatem, & nullam aliam ob cauſam hydrargyrum eſſe materiam ſeptem diſtinctorum metallorum, haud ſecus ac materia prima ob homogeneam naturam ſubiectum eſt 4. elementorum

forum & omnium ex eis compositorum. A formis enim incipit distinctio, non à materia, à qua potius est convenientia & uniformitas teste Petro Ferrariensi *cap.17.& 23* & ut Scaliger inquit *lib.4. de caus. plant. cap.* 20. materia non variat formã, sed à forma variatur materia. Hæc tritissima noster multennis fundamenti speculator ignorat, Cætera plenius *lib.1.cap.3.de generat. metallorum* persequar, ubi manifestissimis rationibus & experimentis probabitur, metalla composita esse ex mercurio & sulfure, itemque sale, &c.

III. Argumentum contra resolutionem metallorum in sua principia & compositionem.

PRincipia materiam & formam separatim producere & posteà componere utrumq; ad substantiam constituendam solius Dei opus est, *thes.* 15.41. Quemadmodum igitur non datur materia expers formæ, ita nec forma materiæ, & per consequens auri forma ab eiusdem materia est inseparabilis, nec unquam absq; illa seorsim existet. *thes.* 18.43.54. Item licet rubedo auri seu tinctura, quã formam auri dicunt, extrahatur à corpore suo albo per liquores, tamen non plus tinget, quàm antea tingebat, & sapientes isti homines operam & oleum perdentes, summam suam stultitiam produnt.

Respondeo.

Nugas agit antichymista, quas à sui similibus stultis hausit, non à sapientibus. Nullus enim un-

quam philosophus docuit formam auri isto modo ab albo suo corpore separare, & alii corpori rursus immittere. Hæc enim translatio magica, qualis fertur metlium, vel metempsychosis quasi Pythagorica, non modò cũ lucro non est, sed etiã cum damno. Lapis noster fit primò niger, deinde albus, postea citrinus, & ultimò rubeus. Tinctura autem hæc Sophistarum seu rubedo manet unius coloris in principio medio & fine. Ergò lapis noster & tinctura vera longè aliud est. Nec movent nos inanes antichymistæ speculationes de materia & forma, quod neutra per se existere possit. Nihil enim nos impugnant, qui ipsi statuimus neq; ideas separatim existere, nec materiam primam illam Aristotelis absque forma aliqua reperiri, nec nobis possibile esse materiam à forma, & vicissim, separare, nisi ἐπινόια. Asserimus autem contrà, in maiori & minori mundo formalia & materialia principia seorsim existere, sicut cœlum & elementa, mas & fœmina discreta sunt, quorum alterum in generatione formam confert, alterum materiam, ut apud Aristotelem notum est. Sic etiam in artibus talia activa & passiva principia separatim reperiuntur, ut aqua lapidifica, & lignum ad cotẽ faciendam, aqua ærosa ad æs ex ferro producendum, surculus ad aliam arborem ex stirpe faciendam. Similiter in Alchymia philosophi potestate naturæ & artis parant, sibi formale quoddam principium auri vel argenti non separatum, instar ideæ Platonicæ, sed cum astro suo, id est, cum subti-

ſubtiliſſimo ſuo & cœleſti ſubjecto veluti proprio vehiculo concretum, quod ſuper materiale principium ſuum ut proprium ſuum paſſivum, id eſt, mercurium & imperfecta metalla proiectum in igne & unitum convertit ea in ſuam naturam ſecundum aſtri ſive formalis principii activitatem.

IV. Argumentum ἐκ πειϱουσίας. thes. 14.

Etſi omnia iſta plana eſſent, id eſt, etſi metalla generarentur, conſtarentque ex dictis principiis, & poſſent reſolvi in eadem, iterumque ex ijs componi, tincturæ tamen auri nullam unquam ineſſe poſſe conſtantiam: quia quicquid ars componat, diſſolvere etiam poſſit.

Reſponſio.

Paralogiſmus eſt quatuor terminorum. Hoc enim de arte axioma locum habet in formis artificialibus ſolùm, & operibus mechanicis. Tinctura verò philoſophica ab arte ſola nequaquam fit, ſed in compoſitione eius ars & natura ſimul mutuas tradunt operas. Componit ars foris, natura intus, illa adjuvando, hæc principaliter in cunctis agendo, ita ut forma generetur nō artificialis, ſed naturalis. Manifeſtè igitur in elencho apparent quatuor termini. Deinde ſemetipſum contradictione & turpi fallacia accidentis implicat. Nam cum *thesi* 51. conſtantiā & fixitatem auri definiat, quod ſit ἀφθαϱσία, id eſt, immunitas à corruptio-

ruptione, quæ fit à natura, aut per putrediuem aut per ignem, non obstante, quod aurum etiam corrumpi possit per accidens ab arte, ut ibidem ponit; idem velit nolit de tinctura auri pronunciare compellitur, quod nempe in illa nihilominus sit constantia & immunitas à corruptione per se & respectu naturæ, etsi per accidens ab arte ei corruptio contingere possit, cum eadem sit ratio auri & tincturæ, & talem etiam proprietatem tincturæ ipse antichymista requirat *thesi 55.* quam & Geber *de investigatione perfectionis cap. 12. ponit*, inquiens: *Nos quærimus substantiam unam facere ex pluribus tamen aggregatam, coadunatam, fixam, quam super ignem positam, ignis non exprimat.* Et Hermes: *Si lapis noster staret in igne usque ad novissimum diem nunquam consumeretur.* Et Alfidius: *nec ignis ei dominatur nec aliud, nec sulfura vastant ipsum.* Quæ ergò vertigo sophisticandi dicere hac *14. thesi*, tincturæ auri nullam inesse constantiam, & *thesi 55.* asserere oppositum, nempe tincturam auri debere esse immunem ab omni corruptione, quæ fit per ignẽ aut putredinem? Item *thesi 19.* aurum omninò esse ἀδιάλυτον atque indissolubile, & *thesi 51.* aurum corrumpi posse per accidens, quasi vox omninò non excludat omnem διάλυσιν, etiam eam, quæ per accidens est. Adeò antichymista sibi nullibi constat, ut hinc patescat, non tincturæ philosophicæ, sed suis thesibus nullam inesse constantiam. Aurum igitur & tincturam auri licet ars dissol-

vere

yere non ignoret noſtra, nihil tamen conſtantiæ eorum derogatur, ſed ambo in omnibus elementis, præcipuè verò in igni cæteriſque examinibus auri legitimis perpetuam fixitatem & conſtantiam ſervant. Quam corruptionem verò peraccidens, id eſt, per artem mediantibus aquis mineralibus & igne *theſi*51. proponit, eam antichymiſtæ donamus. Conveniunt enim labra lactucis. Ea quippe ſophiſtica eſt, nec naturalis diſſolutio, ſed verius perditio auri, nec quoq; in cenſu examinum auri legitimorum continetur.

V. Argumentum à metallorum perfectione.

A *theſi*20. uſq; *ad* 30. mirè vario ſchemate induitur in hoc argumento antichymiſta, nunc conviciatur, nunc execratur, nunc exclamat, nunc divinam ultionem minatur, & ubiq; ſacra profanis, falſa veris miſcet, raptus hinc inde impetu phantaſiæ & multennis ſuæ ſpeculationis ſuperbis rebus inſania, ſed nos omnibus breviter in ordinem redactis principale argumentum hoc ſyllogiſmo incluſimus:

Quicquid valdè bonum eſt, etiam perfectè bonum, omnibuſque numeris abſolutum eſt, ut ejus bonitati nihil omino accedere poſſit *theſ.*24.

Sed Deus de metallis & aliis rebus creatis in principio pronunciavit, quod erant valdè bona.

Ergò metalla sunt perfecta, omnibusq; numeris absoluta, ut eorum bonitati nihil omnino accedere possit. Et per consequens blasphemia est dicere, cætera metalia imperfecta, aurum solum perfectum. *thes.20.*

Responsio.

Quoties tandem contra regulam καθ᾽αὐτό ex alienis principiis imò ex dictis sacræ scripturæ passim è adhibitis & detortis cum hoc absurdo theologastro agendum est? Ipsius potius blasphemia, impietas & dementia in majore palam fit: quæ si vera esset, ut antichymista interpretatur, nulla facta fuisset nec fieri potuisset creatio. Quis enim perfectè bonus, omnibusq; numeris absolutus, ita ut ejus bonitati nihil accedere possit, nisi solus Deus *Matth.19.v.17.* Nisi substantiæ secundum perfectionem & imperfectionem essent in creatione distinctæ, mundus non esset in partibus, & speciebus suis ab uno ad unum ordinatus, sed omnia essent unum, & ipse Deus. Nec verum esset, quod *Sapientia* 11. de Deo prædicat: omnia in mensura, numero & pondere disposuisti. In majore itaq; propositione committit antichymista crimen falsi in scripturam interpretatione sua fallaci detorquens dictum secundum quid ad dictum simpliciter. Nō enim quando dixit Deus de jis quę creaverat, quod erant valdè bona, etiam mox summè bona dixit, quorum bonitati nihil possit omninò accedere. Cum perfectio & bonitas non sit uniusmodi, sed alia in creatore, alia in creaturis, scilicet summa, media

media & infima. Ut Augustinus *in enchiridio* testatur dicens: *à summè, æqualiter & immutabiliter bona trinitate creata sunt omnia, nec summè nec æqualiter, nec immutabiliter bona sed tamen bona etiã singula, simul verò universa valde bona, quia ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulcritudo, in qua etiam illud quod malum seu imperfectum dicitur bonum ordinatum, & loco suo positum eminentius commendat bona, ut magis placeant, & laudabiliora sint, dum comparantur malis.* Hoc etiam philosophi intellexerunt. Nam Aristoteles 1. *de cælo* scribit: primum ens non ab omnib. secundum eandem mensuram participari, sed ab his quidem perfectius, ab illis verò imperfectius. Quod explicãs Cæsalp *li.2.perip.q.2* scribit: *si æqualiter primum ens ab omnibus reciperetur, omnia simul unum essent, nulla enim esset differentia, per quam differrent.* Quod si entia sunt plura & ab uno omnia, per diversam ejus participationem oriri necesse est. Idcirco factum est, ut ordine quodam disposita sint corpora universi, quaterus perfectius & imperfectius datum est illis esse. Hinc Scaliger *de subtil.ex.6 d. 5* inquit: *in hac mirabili rerum vel structura vel digestione summus opifex statuit gradus scil substantiarum. Et lib.3. de caus. plant. cap. 1. Sa[illegible] èntia per gradus quosdam inter se affinia sunt à prima materia usq; ad intelligentiam primam.* Et iterum *ibidem lib.4.cap. 4. Quicquid est in suo genere perfectum est, quod si superiori generi cõparetur, imperfectum judicabitur, etiã homo. Nihil .n. perfectum simpliciter præter Deum.*
Qua-

Quapropter perfectum & imperfectum est commune πάθος entis, cujus multiplicitatem propterea Arist. *in metaph.* 4. *cap.* 16. distinxit, & locum habet in summis & mediis generibus, speciebus & individuis, in substantiis & accidentibus, in animalibus, plantis & mineralibus. Forma est potior nobiliorque natura, quam materia 2. *physs. cap.* 1. Cælum perfectior substantia quàm elementa. In lementis ignis & aër magis sunt forma & τόδε τι quàm terra 1. *de ort. & int. cap.* 3. in mixtis nihil vulgatius divisione illa in imperfectè & perfectè mixta. Animalium perfecta sunt, quæ omnes sensus habent, imperfecta quæ pauciores, ut genera mollia, crustata, testata, insecta 4. *de hist. animal. cap.* 8. Item perfecta quæ simile animal immediatè generant, imperfecta quæ vermem aut ovum. 2. *de gen. animal. cap.* 1. In plantis videmus (inquit Scaliger *in* 2. *de plant. p.* 114.) eandem naturæ scenam, ut quædam sint perfectæ, nonnullæ careant stipite, ramis deficiantur aliæ, fructus aliquæ non ferant, aliis flos desit &c. Sicut autem singulis generibus certa inest perfectionis & imperfectionis ratio, ita in metallis, qua perfecta & imperfecta dicuntur præcipua est à generatione & mixtione. Experientia enim testatur in mineris à fossoribus observata metallorum imperfectorum transitum continuè fieri versus aurum, & argentum, ut Petrus Ferrariensis *cap.* 20. & Dionys. Zachar. *tractatus sui parte.* 2. docent. Hoc enim modo omne quod est in motu ad formam ad quam ultimò ordinatur, debet dici imperfectum, sicut definit Aristot.

ſtot. 4. *metaph. cap. 16. & 24.* τέλος ἐστιν ἡ μορφή: τέλειον δὲ τὸ ἔχον τέλος: *finis eſt forma, perfectum verò quod habet formam.* Hanc ultimam formam ſequitur perfecta mixtio, unde Geber ſcribit *libr. 1. ſummæ perfect. cap. 8.* metallorum perfectionem circa mixtionis modum verſari. Quam perfectionem & alii philoſophi ſimiliter ſtatuunt, ut Scheg. de occult. med. facult. *cap.* 3 inquit: in ſubſtantiarum generabilium perfectione inprimis conſideratur perſeverantia & diuturnitas durationis ratione craſeos, ita ut hæc perfectiſſima judicetur, quę propter ἀπάθειαν diutiſſimè ſubſiſtat & perduret. Ejusmodi in metallis ſunt aurum & argentum. Hujus perfectionis judex non eſt antichymiſtæ phanthaſia multennis, ſed ignis & cætera artis criteria, de quibus apud Gebrum *lib. ultimo ſummæ perfectionis* & apud docimaſtas videre eſt. Hæc omnia oculis ita manifeſta ſunt, ut ſiquis hunc perfectionis & imperfectionis ordinem in creaturis, & præſertim in metallis inficientur, is clariſſimum ſolem in meridie patentib. oculis ſe videre neget, & meritò ad Anticyranum illud antichymiſtæ concilium relegandus ſit, donec ſufficientibus elleboriſmis purgatus ſapiat. Itaque antichymiſtæ theoria potius blaſphema, impia & demens eſt, dum metallis tribuit divinam perfectionem, quorum bonitati nihil omninò accedere poſſit, tranſmutans ipſe ſpecies phyſicas in metaphyſicas phantaſtica religioſitate, quæ pariter à ſacris literis refutatur. Nam ſi aurum aliis metallis melius atque perfectius dicere vetat pietas ut ait *theſi* 28. cur ornatum templi

templi Hierosolymitani Deus præcepisset fieri ex auro potius quam ex aliis metallis? Blasphemi fuissent Magi, qui ab oriente Christo nato Puero aurum potius apportarunt muneri, quàm stannum, plumbum, cuprum, ferrum. Blasphemus esset Petrus cum sanctis aliquot prophetis, qui fidem sanctorum auro & argento per ignem probato æquiprarunt, non ferro, aut plumbo, propter perfectionem. Quid multis? Consensus omnium gentium & populorum, principum & regum, primatum inter metalla auro decernit, quod aliunde non est nisi à perfectione.

Quod nisi esset non perfectiora essent æterna caducis, cælestia elementaribus: nec valeret logicum illud principium 3. *topic.* quod diuturnius, id melius & eligibilius. Sublunaria quanto cœlestibus & æternis similiora tantò perfectiora. Similitudo hæc in duratione & incorruptibilitate & puritate substantiæ consistit. Unde Hermes *in secretis cap.* 7. scribit: *O filii philosophorum corpora sunt septem, quorum primum est aurum, eorum perfectissimum, rex & caput, quod nec terra corrumpit, nec aqua alterat, nec res devastantes devastant; quia ejus complexio est temperata & natura directa in caliditate, frigiditate, humiditate & siccitate, nec superfluum quicquam in eo est.* Ideo philosophi ipsum prætulerunt.

VI. Argumentum adversus divisionem metallorum in imperfecta & perfecta thes. 22.

Si

SI natura in generatione metallorum semper intenta est in aurum tanqnam in perfectius (per impedimenta autem suum scopum non semper assequitur) tunc consequitur illud absurdum, naturam sæpius à suo scopo aberrare(cum major sit reliquorum metallorum quam auri copia) quod contradicit principio physico naturam utplurimum suum adipisci scopum.

Responsio.

Fallit consequens. Quia unius rei possunt esse multi fines & scopus non unus. In generationibus quibusdam animalium & vegetabilium alia est forma media, alia ultima, utriusque tamen idem scopus est, nempe utilitas hominis. Sumus enim & nos quodammodo finis, ut alibi ex philosopho audivimus. Itaque in rerum generatione videmus naturam duplici procedere via ad perfectionem, mediatè vel immediatè ut alibi diximus. Sicut autem animal aliquando sibi simile generat, aliquando non statim simile, sed quiddam mediæ formæ, ut ovum aut vermem & planta aliàs è radice similem plantam profert, aliàs prius semen aut fructum: ita natura mineralis, ut Petrus Ferrariensis docet *cap. 20. in generatione auri alibi ex propriis principiis aurum imediate producit, alibi prius imperfecta.* Nunc in vegetabilibus interroga agricolam & videbis minimam partem tritici pervenire ad frugem, idest, ad finam ultimam plantæ formam, maxima parte seminis intercepta ad cibum. In animali generein

re interroga ancillam vel uxorem tuam & dicent tibi, gallinas suas plura parere ova, quam excludant pullos. Nihilominus tamen natura à scopo non aberrat, etsi in ovis, ob interceptionem ad usus humanos, in assecutione formæ ultimæ, quæ est pullus, quam tamen natura semper & primò intendit, utplurimum frustretur. Novisti enim multò plura comedi solere ova, quam pullos. Deliras etiam si scopum ultimum non assequi & aberrare à scopo, in opere naturæ, idem putas. Quia tunc natura à scopo aberrare dicitur, quando gallina neque ovum generat, neque pullum, sed aut sterilis est, aut pro ovo vivace subventaneum vel aliud monstri producit. Sic etiam creator disposuit generationem metallorum ut eorum usus non solum sit in forma ultima, sed etiã in forma media ad quãcũq; perduxit illa minera. Et quemadmodum semen vel ovum intercipitur ad usum hominis, quò minus pertingant ad formam ultimam, ita etiam res se habet in metallis, quæ imperfecta effodiuntur. Nam si metalla imperfecta (inquit Vincentius in *specib. lib. 1. de alchymia*) remanerent in mineris suis, præpararet ea natura per gradativam mutationem, donec pervenirent ad speciem auri vel argenti. Ex quibus nunc manifestum est naturam neque in medio termino generationis, in quo subsistit ex accidenti, neque in ultimo, scopo suo frustrari. Et quamvis plures inveniantur fodinæ aliorum metallorum quàm auri, nihilominus natura scopo suo non frustratur, sed suo tempore potiretur, nisi intervenirent aut impedirent homines.

De

De progressu æris vel argenti in aurum magn fiæ, stanni & plumbi in argentum alibi dictum est. Hoc tamen non de omnibus mineris intelligendum est. Sicut enim non omnis fert omnia tellus: ita quoq; non in quavis vena metallorum hic transitus datur ob plura alia incidentia impedimenta ab ineptitudine materiæ nimium heterogeneæ & impuræ, à situ loci & inprimis ab influxu cæterorum planetarum prædominantium, cujus causa dicit Artesius in *clave sapientiæ majoris cap.* 1. *nisi essent diversæ actiones & influentiæ corporum cælestium in ipsa inferiora, omnia corpora mineralia essent aurum.* Præterea concesso hoc quod vult antichymista, nempe naturæ intentionem supremam non esse aurum, sed speciem cujuscunque metalli, nihil tamen hinc alchymiæ derogatur, cum transmutationem etiam in natura possibilem videamus non præcisè secundum viam hanc linearum, sed tam retrorsum quam prorsum in se invicem commeare metalla, ut ferrum in cuprum & recrementum cupri in ferrum. Et Albertus *lib.* 3. *de reb. min. tract.* 3. *cap.* 6. generationem metallorum ad se invicem etiam circularem esse demonstrat ex Hermete & aliis antiquis philosophis. Et dictum illud: *qui non albificat, non rubificat*, etiam hoc modo accipitur: nemo potest argentum in aurum vertere, nisi sciverit etiam aurum in argentum reciprocè transmutare; Nam non solum propter hunc progressum naturæ seu formæ, sed multò magis ob propinquitatem vel symbolum communis materię fit transmutatio in metallis, sicut in elementis, de qua re alibi plura.

VII. Argumentum adversus divisionem metallorum. thes. 23.

SI natura semper in perfectionem intenta est, multò magis creatio. Hinc ergò consequetur Deum ante lapsum nullum creasse metallum præter aurum, tanquam perfectissimum, sed post lapsum demum in pœnam hominis maximam auri partem in cætera metalla transformasse, aut eadem de novo creasse, quod est absurdum.

Responsio.

Maior multiplici falsitate laborat. 1. Nulla est legitima terminorum connexio. Natura enim & creator, item generatio & creatio inter se referuntur: non autem natura & creatio. 2. Nulla est consequentia necessaria à generatione ad creationem, cum ut Deus & natura, ita generatio & creatio in multis differant. Creationis modi sunt infiniti: generationis in natura determinati. Quapropter sicut finiti ad infinitum non est proportio, ita à generatione naturali ad creationem non est necessaria argumentatio. Exempli gratia; Si quis diceret, natura in generatione requirit certum temporis spacium ad rerum suarum perfectionem: ergò multò magis creatio: cum tamen creatio non in tempore, sed ἐν τῷ νῦν fiat, vel naturalis generatio fit ex aliquo. Ergo creatio non fit ex nihilo. Absurdum. 3. Valdè tædiosum est respondere ad antichymistæ sophismata, in quibus tanti hiatus, & nihil nisi dissolutæ scopæ sunt. De industria non apertis

pertis aut integris syllogismis agit, sed enthymematis, quibus non solum altera propositio, sed interdum integri prosyllogismi desunt, in quibus fallacia occultatur, sicut hic fit: Sed eruamus prosyllogismum: Si natura semper in perfectionem intenta est: tunc solum aurum generat, quia solum aurum est metallorum perfectio. Sed prius est. Ergò posterius. Hic maioris ratio fallit errore consequentis. Aurum enim non est omnis metallorum perfectio, vel forma, sed perfectio, vel forma tantùm ultima. Fallacia hæc simili paralogismo declaratur. Possemus enim pariter concludere; nec Deum per verba, crescite & multiplicamini (nam juvat semper antichymistam ex Genesi disputare) ovum gallinæ creasse, hoc modo, si natura semper in perfectionem intenta est, tunc gallina solum pullum generat; quia solus pullus est generationis perfectio. Prius est. Ergò posterius. Et per consequens ante lapsum gallinæ nulla peperére ova; sed post lapsum demum in cibum hominis sunt creata. Et anteà formatos pullos pariebant, eosque lacte nutriebant, sicut vespertiliones. Dignus profectò sermo conviviis Saturnaliũ, qualis incidit etiam apud Macrobium, *libr. 7. cap. 16.* Ovúmne prius fuerit an Gallina? Sed ô absurde, fallis errore consequentis, putans nullam esse perfectionem; nisi ultimæ formæ; cum tamen ex supra dictis constet, esse etiam alias perfectiones metallorum (quatenus quiescunt in media forma; atque ita permanent in sua specie; sicut ovum & triticum) ad usus humanos. Tot enim

(inquit Scal. *in com. de plant.*) sunt rerum perfe- ctiones, quot hominum utilitates: & *li.4. de caus. plant.c.4.* Theophrastus ait duplicem esse perfe- ctionem ex duplici fine, alteram ad nostrum usum referri, alteram ad generationem. Ignis & aër sunt formaliora, teste Aristotele, nihilominus terra & aqua sunt creata etsi minus perfecta. In propriis auri mineris natura primò intẽdit aurũ, & id solũ: sed in mineris cæteris nõ primò intendit aurũ, sed imperfectoriũ aliquod. Itaq; nec naturæ intentio o- mnis est primò auri generatio, nisi in propria mi- nera, in cæteris .n. mineris est naturæ intentio pri- mò imperfecta generare. In mineris itaq; imperfe- ctorum metallorum, si intentionem ad ultimam formam refert, intentionem cum exsecutione cõ- fundit. Finis etsi primum est intentione, tamen ul- timum est in executione seu effectu. Generationes rerum, quas natura intendit non fiunt subitò, sed certo tempore, non ubiq;, sed definito loco, non confusè, sed certo ordine & modo transeundo per sua media: nec natura facit saltus. Esto naturæ in- tentio solum aurum, ex dictis tamen causis nõ sta- tim intentionem sequitur effectus. Itaq; retorque- tur argumentum in antichymistam: Sicut enim non omne, in cujus perfectionem natura intenta est, statim ultima forma immediatè perficitur: ita creator in creatione non omne principium metal- li nec omnem venam mox aurum esse voluit, sed suo modo & tempore. De duplici modo generati- onis auri supra diximus. Nihil etiam eorum sequi- tur quæ ante lapsum de creatione deliria somniat anti-

antichymista. Cum Deus omnes species tàm mineralium, quàm vegetabilium & animalium creaverit ante lapsum, & lapsuro etiam de omnibus ad vitam necessariis abunde providerit. Homo in integritate tam non indiguisset auro, quam ferro, expers quippe egestatis & laboris, quorum illius illud subsidium, hoc hujus instrumentum præcipuum est: nisi fortè auri usus fuisset ad vitæ elixir.

VIII. *Argumentum adversus divisionem metallorum thes. 68. 69. 70.*

DEus admirabili sapientia creavit diversa metalla ad varios hominũ usus atq; necessarios. Annon hanc Dei sapientiam eludunt aurifices, dum naturæ ipsiq; Deo unam auri intentionem in productione metallorum præscribunt. Et *thes. 69.* Deus aut non voluit aut non potuit omnia metalla in aurum convertere in creatione. Posterius cogitare est Sathanicum. Ergò non voluit. Cur autem non voluit? Quia placuit ad diversos usus humanos diversa metalla creare.

Responsio.

Midæ votum & suum proprium somnium refutat antichymista. Quis enim unquam scripsit aut dixit Deo & naturæ unam auri intentionem in productione metallorum fuisse? Contrarium potius asserunt, ut videre est manifestissimè ex verbis Petri Ferrariensis, quæ *ex margarit. cap. 12.* in testimonium apponere volui. *Oportet*, inquit,

necessariò dicere, quod imperfecta metalla ex intentione naturæ, & non à casu, id est, propter causas solũ impediẽtes & corrũpẽtes fiãt. Propter cõplemẽtũ n. universi natura sapiens providit in generatione ipsorum arti & constituit ea sicut medium ad transitum auri. Quoniam diversa opera facit ars ex metallis imperfectis, quæ non potest facere ex auro. Unde dicere possumus, quod sicut secundum rationem naturalem tota terra deberet esse cooperta aquis, sed natura respiciens ad complementum universi, & commoditatem humanæ naturæ, & cæterorum animalium spirantium & vegetabilium coacta fuit dimittere partes quasdam discoopertas: ita cum omne metallum ex parte naturæ intendentis deberet esse aurum, natura coacta propter humanæ naturæ commoditatem cætera generavit metalla. Natura enim nihil facit frustra. 2. *physſ. cap.* 2. Et similiter dicimus, quod sicut natura generat testiculos in animalibus non propter necessitatem, sed propter melius, ut dicitur 15. *de animalibus*: sic quasi dicere possumus, quod natura generavit metalla imperfecta, non propter necessitatem, sed propter melius, cum omne quod facit natura, faciat propter alterum istorum. Hæc Lombardus. Suprà etiam ex Artesio audivimus propter influentias diversorum planetarum, qui sunt domini generationum & corruptionum in inferioribus, diversa existere metalla: Si autem sol esset solus, solum quoque aurum generaretur. Qua de re alibi accuratius disputatur contra eos qui negant corpora cœlestia esse causam efficientem

tem metallorum. Imò impossibile est à chymicis asseri, naturam intentam esse debere ad solum aurum generandum, quoniam sic artem propriam destruerent, dicente rursus Petro Ferrariensi *in sua margarita*: Si nullum metallorum reperiretur, nisi solum aurum, tunc ars alchymiæ vana esset, quia cum ars non possit generare aurum ex suis principiis, sicut natura, sed solum quæ imperfecta sunt, perficiat, sublatis imperfectis annihilaretur, nec haberet materiam super qua lapidem suum projiceret. Ad verificationem artis suæ (id est, quod sit naturalis sive quod imitetur naturam) non opus est, ut alchymistæ probent in omnibus mineris naturam intentam esse ad generationem auri: nam id verum non est intentione primaria, sed satis est si ostendant possibilitatem naturæ, quod nimirum in una vel altera minera factus sit transitus ab imperfectis ad aurum vel argentum, id quod suprà non uno exemplo palam fecimus: quoniam quod in una minera fit à natura, idem in cæteris mineris pariter à natura & extra mineras ab arte fieri possibile est, sicuti alibi demonstratum est. Cum nugis igitur suis antichymista ridiculè depugnat, non cum chymicis, inani opera conans probare Deum in creatione debuisse ex illorum decretis omnia metalla in aurum convertere, quod tamen nemo chymicorum unquam asseruit, sicut nec intentio eorum unquam fuit omnia metalla, ut ὅλως ὅλα in aurum convertere, sed τῶν

ὅλων μέρη: id eſt ſpecierum individua ſeu partem, non ſpecies totas. Quis enim poſſet aut optaret totam ſpeciem plumbi, id eſt omne plumbum, quod in toto mundo exiſtit, vel alia imperfecta metalla in totum deſtruere, & in unam ſpeciem auri convertere? Abſurdum. Sic enim ipſe artifex deſtrueret propriam artem, dum poſteris præriperet ſubjectum aurificandi. Sed quemadmodum Ariſtoteles docet metabolen elementorum in ſe invicem fieri non καθόλε, ſed κατὰ μέρος: ita & metallorum tranſmutatio non fit ſecundum totam ſpeciem, ſed duntaxat ſecundum partem aliquam ſpeciei, id eſt individua.

IX. *Argumentum theſ.28. contra metallorum diviſionem.*

SI blaſphemum eſt in creatorem dicere ullum individuum (excepto homine) eſſe melius atque perfectius altero (nam ratione creationis, nec elephas ove, nec cedrus corylo perfectior eſt) certè de metallis quoq; idem dicere vetat pietas.

Reſponſio.

Antichymiſta totus eſt ex abſurdis compoſitus, ſicut ſua argumenta; quod palam fiet, ſi rem detracta larva ſophiſtica brevius ſyllogiſmo integro contrahamus modo.

Nullum individuum eſt melius atq; perfectius altero

Quare? Quia ratione creationis neq; elephas ove, neq; cedrus corylo perfectior eſt.

Sed metalla sunt individua : sic enim minor, quæ deest, suppletur.

Ergò nullum metallum melius est, atque perfectius altero.

Plura sunt vitia & falsitates, quàm propositiones. 1. Minor est manifestè falsa, quia metalla species sunt, non individua. 2. Maior absurda est, repugnans rationi & communi sensui. Quid enim manifestius & magis obvium, quàm in eadem specie unum individuum melius altero esse? Omnes deliberationes nostræ versantur in delectu meliorum circa individua. Quis empturus equum, canem, bovem, agrum non eligat melius? Considerentur loci comparationis, tertio topicorum Aristotelis, & inveniemus antichymistam hominem non hominem, sed bestiam rationis expertem. Creavit Deus caduca & æterna, quis autem dicet æterna ratione creationis non esse meliora atque perfectiora caducis. Maioris itaque ratio seu declaratio non minus falsa est dupliciter. 1. Quod Antichymista non manet in terminis, nec suam maiorem exemplis individuorum comprobat, sed specierum: cum tamen alia sit perfectio individuorum, alia specierum, illa à materia, hæc à forma. 2. Deinde exempla specierum quæ adducit, sunt impertinentia. Perfectæ enim animantes ac plantæ consimilibus speciebus perfectiores non sunt, sed imperfectis, de quibus suprà, ut elephas, muscâ, talpâ (& aliis eiusdem generis, quæ non omnes sensus habent, aut simile non generāt) perfectior est, non ove simpliciter, cedrus fungo

perfectior est, non corylo. Perfectum aut imperfectum relata sunt, quid autem est rerum creatarum, quod non cum alio in genere, specie, individuo conferri possit? Diximus supra ex Scaligero. Quicquid est in suo genere, perfectum esse, comparatum verò superiori generi imperfectum censeri. Eadẽ distinctione in metallis utimur. Quodlibet enim metallum in sua specie perfectum esse concedimus, ut habet *thesis* 24. *&* 25. Constat enim sua speciei forma, at comparatum in genere suo ad aurum, imperfectum judicatur. Quam distinctionem cum antichymista penitùs ignoret, seipsum & omnia confundit, & temerarius contra philosophos disputat, non aliter, ac si sus Minervam doceat. Reciperet profectò dignam sua stultitia mercedem, si suus princeps tali Regiomontano professori pro labore & opera professionis didactrum, vel ægroti ipsius consilio usi sostrum nummis arithmeticis, id est, æreis pro aureis vel argenteis numerarent, ne cum Chymicis hac in parte blasphemi essent in creatorem, si statuerint aurum & argentum ære nobilius esse atq; perfectius. Tunc demum videbimus quid eum super hac re dicere jubeat veterve pietas, utrum æs pro auro & argento hac pietate sua accepturus sit, sicut accipere tenetur ex *thesi* 28. nisi velit ipse blasphemiam in creatorem perpetrare spreto ære præ auro.

X. Ar-

X. *Argumentum thes. 29. adversus metallorum perfectionem & imperfectionem.*

SI Metalla in cretione perfecta sunt, suasque acceperunt materias & formas, tunc impietas atque dementia est dictæ perfectioni aliquid addere velle.

Sed prius est.

Quænam ergò impietas atque dementia est dictæ perfectioni aliquid addere velle, moliri novam creationem metallorum imperfectorum, novam auri: materã itẽ & formam præstantiorem introducere, destructa materia & forma auri à Deo creati.

Similiter huic conclusioni declamat *thesi 20.* quæ blasphemia ipsum aurum etiam purissimum à Deo creatum ab arte posse exaltari perfectiusq; fieri. Et *thesi 21.* Ecce Satanam humana specie apparentem & loquentem ipsissimum, hem scelus divinam creationem imperfectionis arguere! arti maiorem perfectionem, quàm Dei sapientiæ atque omnipotentiæ tribuere! Viden illum auri mercurium factitium (fictitium puto) in Dei sapientiam atque omnipotentiam blasphemum innumeris modis aurum ab ipsomet Deo optimo maximo creatum, superantem? Et *thesi 27.* Quid tu Chrysopæe Deum oppugnas species novas creando, species à Deo conditas confundendo ac trãsformando? cur in ipsum thronum te collocas? Num istam tuam audacem impietatem inultam ipse feret?

Responsio.

Quale argumentum, talia verba, id est, absurda, nugatoria, temeraria. In maiore antichymista blasphemus in Deum, absurdus in naturam, & demens in artes. Dicere enim rebus naturalibus semel perfectè creatis nullam perfectionis accessionem fieri posse multò maximè est providentiæ, sapientiæ & omnipotentiæ divinæ contrarium, quoniam 1. sic Deus ex lapidibus, qui pariter materiam & formam suam in creatione ex opinione antichymistæ acceperunt, non posset filios Abrahæ suscitare, aut ex aqua vinum facere, contra quam sacra testatur scriptura. 2. Scientiarum subjecta confundit, ex metallis, quæ sunt species physicæ faciẽs metaphysicas, ἐκ προσθέσεως οὖσιν ἁπλῶς ὄντα, ex caducis æterna, quæ tamen toto genere distant. Solæ enim substantiæ simplices ea perfectione sunt, ut nihil dissimile sui aut dispar in semetipsis habeant, nihilque additionis aut detractionis patiantur. Corporis verò naturalis species, quarum in numero sunt metalla, propter materiam cum qua sunt concretæ hanc perfectionem non habent, sed conjunctæ sunt cũ δυνάμει ἀντιφάσεως atque privatione talis perfectionis, propter necessitatem generationis. Est itaque hoc nihil aliud quàm in natura negare motum generationis & corruptionis, &c. & incidere in absurdam opinionem Melissi. *8. phys. c. 3.* dicentis, *omnia quiescere, nihil moveri.* Hanc ἀῤῥωστίαν τῆς διανοίας, ut ibidem Aristoteles vocat, relinquamus antichymistæ,

stæ, nos contra novimus corporum naturalium proprium πάθος esse, mutari, generari, corrumpi posse, &c. & suprà demonstravimus metalla esse γεννητὰ, quia φθαρτά. Et quid notius, quàm omnem generationem esse cum imperfectione, sicut & corruptionem, in quibus fit prioris formę abolitio & novæ additio: Nec omnes omninò formæ sunt perfectæ, sed tantum ultimæ in ordine. Ovum accepit à natura animalis suam ovi materiam & formam, similiter semen plantæ perfectum est in sua seminis forma, in qua media forma utrumque quiescit, nihilominus tamen accedente extrinsecus hominis opera promoveri possunt ad aliam ultimam & perfectiorem formam, quæ est pulli vel plantæ. Sic & imperfecta metalla, quæ ovo & semini correspondent in suo genere, in generationis progressu ad auri formam ab arte promoventur. Nonne quodlibet elementum in creatione accepit suam materiam & formam perfectam? Attamen coram oculis tuis tàm natura, quàm arte ex qua fit aër mediante calore, ubi profectò additur materiæ aquæ nova forma aëris, & quidem perfectior, ut Aristoteles asserit *1. de ortu & inter. cap. 3.* Nisi ô absurde antichymista in ventriculo & hepate, cæterisque partibus corporis tui alchymistam, id est, transmutatorem gestares, qui pisciculorum, avicularumque & cæterorum esculentorum formas destrueret, aliamque novam alimentis adderet, crede mihi dudum fame interiisses. Num & is species à Deo conditas confundendo ac transformando Deum in te oppugnat,

gnat, & in thronum eius ſeſe collocans impietatem hanc audacem inultam non feret? At hæc tui alchymiſtæ tranſmutatio multò confuſior ex pluribus & diverſis eſt & remotior, quàm noſtra, quæ tantum fit ſpeciebus unius tantum generis proximi & commune habentibus ſymbolum. 3. Maior quoad artes cum falſitate inſaniam etiam implicat. Dona Dei bifariam nobis conferuntur; quædam perfectè & immediatè ſine ulla noſtra opera, ut anima, vita, intellectus, voluntas, & externa illa, ſol, lux, dies, nox, aër, &c. quædam verò imperfectè, & non niſi mediante humano miniſterio, ut ſunt alimenta, veſtimenta, medicamenta, & alia vitæ neceſſaria, quæ creator homini reliquit perficienda ad ſuos uſus. Hinc Cicero 2. *Offic.* inquit: *Quæ ad vitam tuendam pertinent, partim ſunt inanima, ut aurum, argentũ, ut alia quæ gignuntur è terra, ut alia eiuſdem generis: partim animalia, &c.* ſed ea ipſa, quæ inanima diximus, pleraque ſunt hominum operis effecta: quæ nec haberemus niſi manus & ars acceſſiſſet. Pleraque itaque omnia quæ Deus ad hominis vitam tuendam creavit, perfectionem ab arte accipiunt, quoad uſus noſtros vel ſubſtantialem vel accidentalem. Sumus enim & nos teſte Ariſtot. 2. *phyſ. cap.* 2. quodammodò finis & rerum creatarum perfectio, & in multis, inquit idem in mechanicarum principio, natura ei, quod nobis uſui eſſe poteſt, contrarium facit: Natura enim eundem ſemper habet modum & ſimpliciter: utile autem multifariam commutatur, tot ergò ſecundùm Ariſto-

telem

telem ſunt perfectiones rerum creatarum, quot commutationes ad utilitatem hominis. Exemplis agamus. Creavit Deus triticum in ſua ſpecie, nec ſimul creavit panem, ſed lapſo dixit: in ſudore vultus, id eſt, opera artis, comedes panem tuum. Creavit ſimiliter triticum perfecta ſpecie, quæ tamen integra non ſervatur, ſed in lolium degenerat, niſi adjuvetur agricultura. Creavit vitem, ſed niſi arte colatur, mox deficit in labruſcam. Creavit plantas cęteras, audi tamen, quid Scaliger cum Theophraſto *lib 3. de cauſ. plant. cap.* 1. ſcribat, *quaſdam plantas à natura ſua nanciſci perfectionem, quaſdam foris quærere ab homine, quia non habent intus.* Et ibidem *lib.* 1. *cap.* 18. *arte fieri, ut natura ſummum illum perfectionis apicem in plantis adipiſcatur. Itaque naturæ perfectionem à cultu, qui arte conſtat, eſſe petendam.* Hæc Scaliger. Fruticationes è radicibus vel truncis arborum ſunt ſteriles & inutiles, niſi opera plantatoris perficiantur ad fructificandum. Dignus es planiſſimè, cui vino interdicatur: Illud enim non biberes, niſi naturæ accederet perfectio ab arte. Lino, cannabi & vellere te tegeres, niſi veſtem ab arte acciperes. In ſumma, ſi vera eſſet theoria tua lapidea, ô abſurde antichymiſta, nec agricola, nec molitor, nec piſtor, nec coquus, nec vinitor, nec textor, nec ſartor, nec ſutor, nec pharmacopęus, nec tu medice ſine blaſphemia opera artis exerceres quoniã in omnib. his naturæ creatę fit perfectionis quędã ab arte acceſſio. Omnis quidem ars eſt ſujecti ſui, quod à natura imperfectum ſuppeditatur, quædam perfectio vel ſimpliciter vel ad uſum noſtrum: quod adeò

manifestum est, ut quædam artes duntaxat definiantur additione deficientium & ablatione superfluorum in re naturali. Perfectum non est cui per artem aliquid addēdum vel demendum est. Nonne medicinam Hippocrates in *libr. de flat.* definit adiectione necessariorum & detractione inutilium: Similis opera agriculturæ est circa plantas, quarum naturam emendat demendo superflua & addendo necessaria, quam analogiam utriusque artis videns Scaliger *comm. in 3. de caus. plant cap. 2.* pronunciavit agriculturam medicinam plantarum & medicinam agriculturam hominum. Eadem ratio est alchymiæ, quam similiter Geber *in libr. investig. perfect. cap. 2.* definit esse in metallis superflua demere & absentia supplere, & sic netam eis immittere perfectionem. Quæ verba quamvis à Gebro de medio opere dicta sint, tamen id verius præstatur per operis maioris medicinam, cuius proiectione super imperfecta superfluum illud extraneum sulfur à mercuriali substantia removetur, & quod in ea crudum est sulfuris huius non urentis coctione perficitur. Distinguendæ sunt artes, & earum perfectiones quæ sunt dissimiles. Quædam enim naturam imitando eam nonmodò non superant, sed ne æquant quidem, ut sunt statuaria, pictoria, & cæteræ quæ solo motu artis perficiunt subiecta sua forma tantum accidentali & externa: quædam verò naturam imitando eam haud parum superant, ut sunt, quæ modo nominavi, agricultura, medicina, & alchymia, quæ non solo externo artis, sed & naturæ motu in-

tu interno ad efficienda ſua opera utuntur. Eadem eſt ſententia Ariſtotelis, qui in principio primi Rhetoricorum ſcribit, dum aliquid fit arte & natura, longè melius fit arte, ſcilicet complicata cum natura, quàm natura tantum. Et in principio mechanicarum: ars naturæ juncta valet ſuperare ea, quibus per naturam vincimur, ut patet in graviſſimorum ponderum artificioſa elevatione. Sed quid diutius lumen ſoli inferimus? cum res hæc, de qua cum inſano iſto antichymiſta diſputo, lippis & tonſoribus nota ſit. Species metallorũ transmutamus & perficimus ea arte, quam Deus ſuos docuit. Num blaſphemia eſt artem exercere, quã ipſe docuit, ut alibi demonſtrabitur? Interim interroga ſuper his plantatorem, qui pariter ſpecies transplantat, num cydoniam in pyrum, aut pyrũ in pomum cum blaſphemia creatoris vertat? Et ſine dubio tibi precabitur ſanam mentem. Fallax igitur eſt elenchus oppoſitorum, cum creatio & artificium nõ ſint oppoſita, ſed ſubordinata. Idem enim Creator, qui propter hominem (inquit Scaliger *com. in lib. 1. cap. 18. de cauſ plant.*) plantas (& cætera) fabricatus eſt, homini dedit rationem, dedit manum, unde & à tempore locoque plantis & à plantis ſibi ſuppeterent expeditæ commoditates. In rebus inanimis natura habet tantum principium τȣ̃ κινεῖσθαι, & indiget manu hominis ut principio ſe movente & activa cum paſſivis ad generationem & perfectionem ritè conjungente. Sicut igitur triticum non multiplicatur ſine agricultura, nec arbor ſterilis fructificat ſine inſitione:

D ita

ita nec metalla generant sibi similia sine alchymia, Quamvis enim lapis noster, inquit Arnoldus & Lilium jam in se tincturam naturaliter contineat, quoniam in corpore terræ perfectè creatus est, tamen per se motum non habet, ut fiat elixir completum, nisi moveatur arte & operatione. Et ideò artes diversæ à diversis philosophis sunt inventæ, ut compleatur per artificium, quod à natura est relictum incompletum & imperfectum. Si quæritur quomodo lapis creatus in ventre terrę ab arte exaltari multoque perfectior reddi possit, sciẽdum est, non quæri perfectiorem aliquam speciẽ, quàm est auri (quod jam ad supremum gradum perfectionis metallicæ pervenisse, ideoq; in nobilius metallum mutari non posse concedo) sed perfectionem virtutis generativę, seu multiplicationẽ per individua, quæ vis in hoc subjecto delitescens in actum arte elicitur. Quemadmodum nec agricola desiderat speciem perfectiorem tritico, sed tantum eiusdem in individuis multiplicationem. Hanc potentiam naturæ similiter in metallis posse in actum elici & perfici confirmat Marsilius Ficinus *libr.3. de vita cœlitus comparanda cap.3.* his verbis: *Si quæris cur metalla non generent, quæ inter elementa & animantia media sunt, causa est, quod spiritus in eis crassiori materia continetur, qui si ritè secernatur, secretusq; servetur, tanquam seminaria virtus poterit sibi simile generare, si modò materiæ cuidam adhibeatur generis eiusdem.* Hæc Marsilius. Hic spiritus generativus proportione respondens elemento stellarum (ut philoso-

phus

phus *libr.2.cap.3.de gener.animal.* loquitur) in lapide nostro certa methodo artis caloreque proportionali excitatur, & ita multiplicatur, ut tandem fiat elixir & tinctura millies millesies fortior, quàm sunt ipsa corpora naturalia naturali calore decocta, ut scribit Rog. Baccho *in speculo capit. 3.* Deinde etiam aurum quod hinc fit, perfectius & melius est naturali, ut omnes artifices testantur & ipsa experientia. Hinc Comes Mirandulanus *lib. 2. de auro cap. 7.* scribit: *Ars non solum naturam dicitur imitari, sed planè perficere,* ut nō absonum hinc videri queat, quod à multis asseritur jam factum, & me vidisse non abnuo, idest, fieri per artem posse naturæ adjumento aurum nativo perfectius, certè coloratius, & Alberti persuasit autoritas, & ostendit experientia apud multos; etiam à philosopho Psello prodita literis, qui docuit arte fieri perfectius aurum micis, ramentis, frustulisque Pactoli. Et Paracelsus *de natura rerū lib. 9. Nostrum aurum & argentum, quod tinctura nostra fit, melius & nobilius est ad præparationem omnium medicinalium arcanorum, quàm illud quod natura ipsa in mineris generavit & à venis separavit.* Textus philosophiæ: *Aurum & argentum per nostram medicinam generatum excedit omnē solem & lunā naturalem in omnib. proprietatib. tam medicinalib. quàm aliis.* Comes Trevisanus *in epistola: Opere artis philosophicæ citius & breviori tempore generatur aurum perfectius, nobilius, & gradibus sublimius, quàm opere naturæ.* Directorium alchymiæ: *nihil obstat, quod aurum*

rum alchymiæ sit auro minerali preciosius, quia talis mineralis preciositas est perfectionis accidentalis, quæ speciem non diversificat. Lombardus etiam cap. 2. ait, *Aurum artis esse melius, purius & perfectius naturali addita ratione: quia alchymicum est ab omni sulfure & superfluitate mundatum minerale autem quodcunque illud sit, habet sulfuris alicuius adhærentis commixtionem.* Similem ferè rationem Paracelsus reddit *libr. 9. de natura rerum* inquiens: *Nostra tinctura astraliter perfecta & præparata singulare perfectionis suæ indicium edit simile fulgurationi minerali, quæ fit in montibus. Nam si pauca eius portio in metallum liquatum projecta fuerit & amborum in igne coniunctio fiat, naturalem præbet fulgurationem, perinde ut aurum vel argentum purum in cineritio circa purificationis finem fulgurat.* Hæc Paracelsus. Nostrum igitur argentum & aurum jam per medicinam fulminatum est, & purgatum ab omni sulfureitate extranea: naturale autem nunquam tam purum est, quin cineritio, aut alia purgatione indigeat. Id attestatur singulari historia & experimento auri è plumbo facti Basileæ Dienhemius *de medicina universali cap. 24.* dicens: *post projectionem factam effuso tigillo non amplius plumbum, sed aurum purissimum reperimus, & quod post examina aurifabrorum multis parasangis aurum Ungaricum & Arabicum superaret, cuius particula rei memoriam Zvvingero donata fuit & adhuc extat.* Quis ergò jam non videat, quàm vehementer elleboro indigeat antichymista, qui dum metal-

talis ab arte perfectionem accedere sine blasphemia creatoris posse negat, se & totum humanum genus omni beneficio artium, quas tamen Deus æquè, ac ipsas res creatas homini concessit, stultissimè privare contendit. Et si blasphemia esset aurũ creatum vel natum perfectius arte facere, nec quoque liceret aurum vel argentum impurum è minera per cineritium, cementum, antimonium, quartationem, &c. perfectius vel purius reddere, quod est absurdum, & suæ etiam *thes. 9.* contradictorium. Inepta scommata & cæteræ τῆς ἀῤῥωςίας διανοητικῆς φλυαρίαι, quas adversus artem huic sophismati admiscuit, insaniæ maioris argumentũ sunt, quæ tanti facimus, quanti insanorum aut melancholicorum convicia faciunt medici, quoniam post demonstratam jam veritatem futilitate sua per seipsa ruunt, & contrarium potius ex superiobus patet, nempe assertionem hanc antichymistæ esse in artes, quæ sunt dona Dei, blasphemam, impiam, stultam, & providentiæ, sapientiæ, omnipotentiæ atq; misericordiæ Dei ex diametro oppositam, contra quam ipse *thesibus 20. 21. 29. & 73.* alchymiæ temerè affingere ausus est.

XI. Argumentum thes. 42. à modo generationis seu veræ transmutationis.

SI metallorum essentialis fieri posset transmutatio, naturæ operationi conformis fieret, ita ut uno actu ac simul & forma substantialis prior, aboleretur & nova introduceretur: ut fit in alimenti transmutatione in corpus alendum.

At neque ignis neque quicquam eorum, quæ in operationibus aurificationis adhibentur, formam auri in se continent: Aliàs quodlibet metallum esset ipsummet aurum.

Ergò metallorum non fit vera transmutatio.

Responsio.

Minor est falsa ex insufficienti enumeratione partium vel specierum. Etsi enim neque ignis neque imperfecta metalla, neq; aliæ species quas Sophistæ admiscent (per alba albificantes, & per citrina citrinantes, manente eadem specie metalli prioris in materia, qui procul dubio deceptores sunt, & verum aurum & argentum non faciunt, ut loquitur Albert. *lib. 3. de mineralib. tract.* 1. *cap.* 9.) formam auri continent: elixir tamen philosophorum eam continet, quo sulfur extraneum, quod erat causa prioris formæ imperfectorum in momento quasi separatur & introducitur nova forma auri per sulfur intrinsecum non urens. Hinc Petrus Ferrariensis *in introductione*: Ex ijsdem principiis mineralibus corporum metallicorum sicut natura generat aurum sive compositum, ita ars ex ijsdem generat formā auri, quod est elixir, quod quidem si proiectum fuerit super imperfecta metalla ceu materiam, fit per conflationem ex eorum commixtione compositum, quod est aurum. Et quod ignis coctione sua non possit imperfecta perficere in aurum, ultrò fatentur philosophi. Scribit enim rursus magister bonus his verbis;

bis: *Nolumus ponere metalla imperfecta in igne ignitionis aut liquefactionis, & sic servare, quousq; atgerantur, & perficiantur in aurum, quia fatuum est hoc dicere & imaginari & impossibile: sed ipsis liquefactis ad ignem immediatè imponimus lapidem secundum justa pondera ipsa perficientem.* Porrò in ratione minoris, cum inquit: *aliàs quodlibet metallum esset ipsummet aurum,* imperitè & sophisticè loquitur, potentiam ab actu non distinguens. Nam quodlibet metallum etsi non actu, potentia tamen aurũ est, quod ex eo liquet, quod imperfecta metalla à natura in mineris quibusdã paulatim perficiuntur in aurum, & singula etiam effossa granum aliquod in se continent incorruptibile auri vel argenti. Itaque non naturæ, sed nostri respectu negatur eis potentia ad aurum. Quoniam, si sine elixire nostro vellemus ea per se in igne coquere, & perficere in aurum, tam expensis, quàm vita deficeremur, priusquam opus compleremus; imò non est datum nobis tantum vitæ spacium, ut vel argenti decoctione sola in aurum mutatio exspectari possit, sicut omnes philosophi testantur.

XII. Argumentum thes.43.

MErcurius non potest figi, nec auro sua fixitas auferri propter uniformitatem: pariter nec cætera metalla figi, nec in mercurium reduci possunt, & quamvis videantur aliquo modo ab ignis & aquæ fortis vehementia resolvi, tamen nihil aliud fit, quam quod friabilitati accedit, quantum eorum tenacitati decedit: unde reducuntur rursus.

Ergo omnis metallorum transmutatio est deceptio sophistica.

Responsio.

SI verba revocentur ad syllogisticam formam, statim patebit duplex fallacia una secundum non causam ut causam, altera consequentis. Syllogismus fit pro antichymista:

Corpus uniforme non est mutabile infixum vel volatile.

Sed mercurius & aurum sunt corpora uniformia.

Ergò mercurius non est convertibilis in fixam, nec aurum in volatilem sive mercurialem substantiam.

Maior simpliciter est falsa: quia alioqui tantum organica corpora & non similaria essent mutabilia corpora naturalia. Uniforme enim & similare idem sunt. Ignis est corpus uniforme, & tamen mutari potest in terram, quod est corpus fixum. Et terra similiter est corpus uniforme, si non in superficie, tamen in centro, nihilominus statuitur à physicis mutabilis in alia elementa volatilia.

Deinde non sequitur: Metalla igne & aqua forti resoluta, ut antichymista scit, reduci possunt, vel mercurius igne solo non figitur. Ergò nullo modo metalla resolvi possunt in mercurium, quin reducantur & mercurius nullo modo figi. Fallit consequens. Quia præter hos, quos antichymista hic posuit, lõgè alii & diversi sũt modi, quos ipse nescit & soli philosophi sciũt metalla resolvẽdi in

mercurium & mercurium figendi. Et antichymista perperam more plebeculæ, difficile & impossibile, ut terminos vicinos non discernere novit. Aurum difficulter solvitur in mercurium & mercurius difficulter figitur. Non sequitur, ergò omninò non solvi aut figi potest: quia impossibilitas pendet ab imperitia, non ab arte.

XIII. *Argumentum thes.* 44.

ISTud & hæc ratio invicta comprobat. Si enim quicquid est actu humidum, & quicquid actu siccum, potestate verò humidum vel fluidum, à Deo creatum est impedimento remoto inpristinam suam naturam redit, tunc forma nulli humido hujusmodi detrahi potest.

At prius confirmat experientia. Verum itaque & posterius.

Et per consequens nec auro forma propria detrahi & detracta rursus alii communicari potest.

Responsio.

Audimus sanè sophistices elenchũ, sed non invictum, imò meram petitionem principii, ubi superius argumentum repetitur tantum & notius per obscurius probatur, ad quod etiam intelligendum Oedypo conjectore fermè opus foret. Resumamus & exemplo manifesto simul stultitiam & falsitatem declaremus argumentatoris & argumenti. Aqua est actu humida, & glacies actu sicca, potestate verò humida vel fluida à Deo creata, quæ

glacies frigore remoto per calorem in priſtinam ſuam naturam actu humidam redit. Non propterea tamen aquæ vel glaciei ſua humiditas nunquam detrahi poteſt, aliàs aqua nunquam converteretur in aeris, terræ vel ignis elementum, quod eſt abſurdum. Itaque contrarium confirmatur experientia. Sed reſumamus aliter ſecundum ipſius phantaſiam. Voluit dicere: Si metallorum in mercurium per aquas fortes vel regias reſolutio fieri nequit, quin rurſus poſſint (impedimento ductibilitatis, quod eſt à mineralibus ſpiritibus, remoto) in priſtinam ſuam naturam ſeu formam ſeu corpus reduci: tunc nulli metallorum forma detrahi poteſt. At prius eſt verum. Ergò & poſterius: & per conſequens nec auro ſua forma detrahi & poſtea aliis communicari poteſt. Sed fallit ſeipſum ignoratione elenchi, ſicut & ſupra fallacia conſequentis. Etſi enim totus ſyllogiſmus concedatur: concluſio tamen aut conſequens arti nihil repugnat, quoniam opus univerſale non conſiſtit in tali metallorum vel auri in mercurium reductione, nec in formæ ab albo ſuo corpore ſeparatione, ejuſque in alia rurſus corpora intromiſſione. Hæc tua & ſophiſtarum eſt opinio & labor inutilis, non philoſophorum. Multum de eadem forma declamatur *theſibus*. 18. 56. 57 58. 59. 60, 62. magna vanitate, eò fortaſſis ut antichymiſta aliquid ignorantibus videatur noviſſe in chymicis, cujus tamen univerſam in philoſophicis & chymicis ſcientiam caſſa nuce non emerim. Sed hæc alibi refutata ſunt. Deinde ſi philoſophi circa talia ſophi-
ſtica

ſtica & infructuoſa particularia labores & ſumptus impendere vellent, ipſos ſcientia non lateret hæc conſequendi, ſed antichymiſtam & alios artis imperitos. Itaq; etiam fallacia eſt conſequentis, quia hæc formæ auri extractio neceſt verus, nec omnis modus tincturam faciendi: ſicut nec antichymiſta, eſt omnes homines, nec ejus ſcientia aut experientia eſt univerſalis omnium hominum vel artificum ſcientia experientiáve. Ad eundem elenchum referenda ſunt,, quæ *theſi. 56.* ſcribuntur: Rubedo auri extracta non eſt tinctura. Ergò nullo alio modo tinctura fit. Quia tinctura noſtra hoc modo nequaquam extrahitur: ſed primùm fit nigra, poſtea alba, ultimò rubra. Antichymiſtæ autem rubedo eſt ejuſdem coloris in principio, medio & fine: ſicut contrà ſua frons eſt ſine rubedine in hujus diſputationis principio, medio & fine.

XIV. *Argumentum theſ. 47. 48. 53.*

SI aurum non poteſt fieri ex ullo alio metallo, multò minus ex rebus aliis toto genere diverſis.

Atqui aurum non poteſt fieri ex ullo imperfectorum: quia imperfecta non habent materiam cum auro communem: nec ex ipſo auro: quia in auro non eſt tinctura.

Ergò aurum omnino non poteſt arte fieri & proinde ars nihil eſt.

Reſpon-

Responsio.

Maior conceditur. Pari ratione dici potest: Si homo ex homine non generatur, multò minus ex asino generabitur vel arbore, vel lapide. Quis hoc negat? Nam simile à simili procreatur naturaliter. Minor verò falsissima est. Quapropter audiemus quomodo duo membra eius distinctis argumentis probare velit.

Primi membri minoris probatio, quod nempe imperfecta non habeant materiam cum auro communem.

Aurum est ἄφθαρτον: reliqua metalla φθαρτά:
Illud ponderosum; hæc minus ponderosa.
Illud cordiale: hæc venenata.
Quomodo ergò φθαρτὸν potest esse materia τοῦ ἀφθάρτου leve, gravis, venenum, medicinæ?

Responsio.

Negatur consequens. Nam diversæ proprietates, quę insunt compositis rebus naturalibus à forma, non arguunt materiam diversam, sed tantum diversam formam. Incorruptibilitas, pondus, virtus cordi salubris insunt auro à sua forma per se: quemadmodum & imperfectis metallis insunt corruptio, ponderositas minor, & venenati halitus à sulfure extraneo corrumpente, quo informantur imperfecta metalla ad certam speciem.

Si

Si istæ proprietates diversæ ostenderēt materiam metallorum diversam, etiā terræ gravitas & ignis levitas, item illius frigiditas & huius caliditas pariter probarent diversam materiam elementorum, & non solum diversam formam: quod tamen est absurdum ut omnes vident. Sicut igitur una & eadem materia prima commune subiectum est contrariarum formarum, actionum, perpessionum & qualitatum in elementis]: ita & substantia sive materia mercurialis est susceptiva septem formarum metallicarum à seinvicem differentium proprietatibus activis & passivis. Antichymista in tota sua disputatione hac theoriæ suæ annosæ deliria solis ferè enthymematis cōcludit, qui mos est rhetorum & sophistarum ad fucum facilius veritati obducendum, contra quam philosophi factitant, qui sua plerunque integris & apertis syllogismis demonstrant. Sed adversus hos dolos sophistarum optima medicina est si eorum dissolutæ scopæ in legitimam & simplicissimam syllogismi formam velut ad incudem veritatis revocentur. Quod & in hoc enthymemate faciendum est hoc modo:

Aurum est ἄφθαρτον,
Cætera metalla non sunt talia, sed φθαρτά.
Ergò cætera metalla non sunt aurum sive quod idem est, cætera metalla non habent formam auri, sive eis deest forma auri.

Quid verò antichymista infert? Longè aliud & plus, quàm vi præmissarum concludi potest: nempe, cęteris metallis non inesse materiam auri. Perinde est ac si dicerem:

Ignis

Ignis levis est & calidus

Terra contrà: gravis & frigida.

Ergò terræ & ignis non est communis materia.

Plus est in conclusione positum, quàm in præmissis. Nam non illud sequitur, sed hoc tantum: ergò terra non est ignis.

Quod verò consequenti immiscet dictum Aristotelis, rogans, Quomodo φθαρτὸν materia sit τοῦ ἀφθάρτου iterum confugiamus ad integram formam syllogismi hypothetici prout materia fert hoc modo.

Si aurum est ἄφθαρτον, cætera metalla φθαρτά, tunc cæteris metallis non inest materia auri, sive quod idem est, cætera metalla non habent communem cum auro materiam.

Connexionem probat dicto Aristotelis dicentis φθαρτὸν καὶ ἄφθαρτον toto genere sive materia differre.

Sed aurum est ἄφθαρτον, cætera metalla φθαρτά.

Ergò cæteris metallis non inest materia auri.

Hic apparet paralogismus ex quatuor terminis. Nam φθαρτὸν καὶ ἄφθαρτον, id est corruptibile & incorruptibile (ut Schegkius annotat in *lib. de caloris vita. 3.*) dupliciter dicitur. Quædam enim sunt ἁπλῶς ἄφθαρτα, quæ simpliciter corruptibilibus opponuntur, ut cæleſtes substantiæ mortalibus & caducis substantiis, quæ toto genere physico inter se discrepant, ut Aristot. *libr. 9. metaphys. cap.* 10. testatur. Alia sunt secundum quid ἄφθαρτα, quæ & ipsa secundum quid sunt φθαρτά: ut si quis

quis aurum respectu ignis esse ἄφθαρτον attamen respectu alterius φθαρτὸν seu corruptibile esse dixerit. Hæc Schegkius. Eadem est Aristotelis mens. Nam homonymiam hanc ipse explicans *libr. 1. de cœlo cap. 11. scribit*: λέγεται δὲ ἄφθαρτον καὶ τὸ μὴ ῥαδίως φθειρόμενον, *id est dicitur incorruptibile etiam id, quod non facilè corrumpitur.* Ἄφθαρτον itaque in majore propositione pro incorruptibili secundum quid: in ratione ejus, sive in adducto Aristotelis dicto pro simpliciter incorruptibili, qualia sunt cœlestia & æterna, accipitur. Aurum enim non est ἁπλῶς ἄφθαρτον. Destrui potest, sed difficulter, inquit Geber *libr. 1. sum. perf. cap. 8.* Et ipse mox antichymista *thes. 51.* semetipsum refutat fatendo, aurum per accidens corrumpi posse. Quod quidem fieri non posset, si esset ἁπλῶς ἄφθαρτον, sicut cœlestia & æterna, quæ contrario carent. Homo autem in natura reperit arte contrarium auri & inimicum & destructorem, cujus artis utilitas non pervenit ad hominem duræ cervicis. Ex qua distinctione perspicuum est, quàm pueriles parturiverit tot annos ambiguitatis elenchos noster antichymista, & quod non meliore fato nũc Aristotelem, quàm supra in primis thesibus Mosen contra chymicos produxerit, si non in bonum, tamen in magnum argumentum stuporis ingenii sui, atque adeò omnis in theologia & philosophia ἀπαιδευσίας. Ad hæc si ponderositas est indicium diversæ materiæ, etiam mercurius aliam habebit à metallis materiã, in quo omnia metalla supernatant, præter

ter aurum, quod in eo solum submergitur, ut Geber etiam tradit *lib. 1. summæ perfect. cap. 15.* Sed hoc est absurdum, & tam omnium philosophorum decretis alienum, quàm manifestissimæ experientiæ contrarium. Sicut enim omnia metalla ex eo constare, traduntur, ita arte in illud iterum resolvi possunt ad oculum, quod si antichymista ignorat, decet ipsum hoc discere, ut sapiat tandem. Præterea nec omnia imperfecta metalla venenum habent, sed quodque suas virtutes: sicut enim aurum cordiale, ita argentum cerebrale est, & ferrum lienare atque hepaticum, idque à formis possident, non à materia per se. Pudeat antichymistam, si modò adhuc frontis aliquid aut mentis habet, negare, omnium metallorum esse materiam communem, recogitãtem, quod sibi omnium philosophorum atque literatorum hominum cõsensum obsistentem habeat, qui consensus instar maximi argumenti ducitur. Quis es tu antichymista, qui horum omnium autoritatem vellicas, tibique uni magno opinionis errore plus arrogas scientiæ, quam istis omnibus tribuis, contra quam te *Galenus* docet *in libro de usu partium*, inquiens, ignorationem uni potius tribuendam, quàm aliis omnibus. Si auri & cæterorum non est communis materia, aut aurum solum erit metallum & cætera non erunt metalla, aut cætera erunt & aurum non erit. Metalla enim dicta sunt propter commune genus communemque proximam materiam. Elige utrum vis, absurdum non effugies: imò nec contradictionem propriã. Metalla enim per

per totam disputationem sub communi genere & nomine comprehendisti. Nisi esset communis metallorum materia; non tam facile miscerentur. Quæ enim genere vel proxima materia differunt, non miscentur, ut videre est in aqua & oleo. Facile igitur miscentur tantum homogenea; id est quæ sunt ejusdem naturæ & materiæ. Unde Avicenna in mineralibus ait; ideo misceri argentum vivum cum corporibus (id est metallis) quia fit de substantia eorum. Communia πάθη ostendunt communem materiam. Omnium commune est esse densæ, fortis tenacisque substantiæ & ponderosæ, duci sub malleo in laminas, extendi in fila, liquari in igne, congelascere in frigido, uniri cum mercurio, solvi in aquis stygiis, idque tam auri est, quàm cæterorum metallorum. Præterea generatur aurum cum imperfectis in eadem massa & vena: Item in quibusdam venis imperfecta metalla tandem in aurum transeunt: Similiter ex imperfectis projectionem medicinæ arte fit aurum: quod ipsum sensu est evidens, si non omnibus, attamen artificibus. Quæ transmutatio nunquam fieret, aut fieri posset nisi metallorum omnium esset communis materia. Ὅσα γὰρ ἔχει σύμβολον πρὸς ἄλληλα, ταχεῖα τούτων ἡ μετάβασις: inquit Aristot. *lib. 2. de ortu & int. cap. 4.* Argentum quidem & argentum vivum majus symbolum habent cum auro, ratione puritatis materiæ; sed tamen nihilominus omnium materia est communis & propinqua. Propinquitas autem major

vel minor in particularibus tantum obſervatur: in univerſali enim unius perfectionis ſunt omnia, ut inquit Geber. *lib.* 1. *ſum. perf. cap.* 22. Sophiſma alterum quo vult probare imperfectis metallis non ineſſe formam auri *theſ.* 52. vertiginoſi capitis proles eſt, quæ nec manus nec pedes habet, & tam intricata & hiantia omnia ſunt, ut crediderim nec ipſum quidem ſcire authorem, ubi medius terminus ſit, & has diſſolutas ſcopas nec ab Ariſtotele in bonam argumenti formam colligi poſſe. Scutica itaque dignus eſt antichymiſta non refutatione, præſertim cum nemo neget abeſſe imperfectis metallis formam auri, alioqui imperfecta non eſſent.

Secundi membri minoris probatio.

Si in auro non eſt tinctura, tunc ex eo non poteſt fieri aurum vel tinctura.

Sed in auro non eſt tinctura: primo, quia auri forma eſt propria auri materiæ, nec alii materiæ communicabilis. *theſi.* 53. 54. deinde: quia in auro non ſunt conditiones tincturæ, quæ ſunt quinque. 1. materiam tingendam aptam facere ad auri formam recipiendam. 2. figere. 3. tingere. 4. dare pondus. 5. vim cordialem.

Ergò neque ex auro poteſt fieri aurum vel tinctura.

Reſpon-

Responsio.

Totum argumentum cum minoris probatione est paralogismus à πρὸς τι ad ἁπλῶς, quod statim patebit, si pleno sensu & integris verbis res enunciretur, hoc modo.

Si in auro tinctura non est actu, tunc neq; potentia est in auro, ut ex eo fiat arte aurum vel tinctura.

Sed tinctura non est actu in auro

Ergò neq; potentia est in auro, ut ex eo fiat arte aurum vel tinctura.

Libet antequam plenè respondeam, absurditatem argumenti simili sophismate declarare. Perinde est ac si dicerem in animali genere.

Si in ovo non est actu forma pulli, tunc neq; potentia est in ovo, ut ex illo per incubatum gallinæ vel alium calorem similem fiat pullus.

Sed hoc est. Ergò & illud:

Deinde in vegetabili genere:

Si in surculis persicæ non est actus faciendi ex pruno vel ceraso persicam arborem, tunc nec potentia eis inest has duas arbores in suam naturam convertendi.

Sed in surculis persicæ non est actus faciendi ex pruno vel ceraso, aliave arboris stipite persicam arborem.

Ergò neq; surculis persicis potentia inest ut plantator per eas ex pruno vel ceraso transplantet arte sua arborem persicam.

Tertiò in elementorum metabole:
Si in aqua non est actus transeundi in aerem vel aliud elementum, neq; potentia inest.
Sed prius est.
Ergò & posterius.

Negatur in his omnibus sophismatis consequẽtia. Quia non sequitur, tinctura in auro non est actu, ergò nullo modo est aut esse potest in auro. Plus negatur in consequente, quàm negatum fuit in antecedente. Antecedens enim loquitur solum de actu, consequens de actu & potentia simul. Itaqua plus est in conclusione, quàm in præmissis. Tinctura, quod omnes philosophi libenter & ultrò fatentur, non est actu in auro, nec aurum in sua simplici perfectione ad quam ipsum deduxit natura, potest formam suam aliis communicare. Sic enim Rogerius Baccho *in spec. cap. 3. Si aurum imperfecta sola liquefactione sibi commista perficeret, esset elixir ad aurum: sed quia natura operatur simpliciter, perfectio in auro simplex est, & inseparabilis & incommiscibilis.* Et magister bonus: *Digestio auri valdè differt à digestione elixiris, quoniam digestio auri ut compositi sufficiens est sibi soli, propter quod si cum aliquo imperfectorum commisceatur in conflatione, non potest digerere illud, nec de sua digestione ipsi conferre, ut transformetur illud in aurum.* Nac aurum etiam habet in se illas conditiones tincturæ *thesi. 55.* ex parte enumeratas, sed ad illã perfectionẽ deduaiturdemũ per artificiũ nostrum, ut ait quidam philosophus. Et Ægidius

in

in dialogo naturæ cap. 6. Mercurius dicitur philosophorum, sicut filius dicitur patris, qui eum genuit. Non enim datum est naturæ producere mercurium istum de potentia in actum absq; adjutorio philosophi. Et Lilium: Quamvis lapis noster tincturam in se materialiter, sive potentialiter contineat, attamen per se motum vel actum non habet, ut fiat elixir completum, nisi moveatur arte & operatione. Sicum ovum non movetur per se ad perfectionem majorem & formam pulli, nisi ulterius à motore extrinseco promoveatur: & surculus persicæ per se actum non habet prunū vel cerasum arbores in suam naturam convertendi, nisi insitione & opera plantatoris, ita & hic fit. Hæc satis ad paralogismum. Porrò silentio prætereundum non est, quod antichymista inepte deblaterat de conditionibus tincturæ ex suo cerebro partim ex cogitatis, partim aliundè auditu tantùm acceptis. Perfectionis sivæ perfectæ tincturæ proprietates à Gebro *in lib. 4. sum. perf. in principio* ponuntur, quæ sunt numero quinque 1. mundare seu removere superflua cum ad hæsione inseparabili sui. 2. dare colorem. 3. fusionem. 4. fixationem. 5. pondus. Antichymista audivit aliquando citari Gebrum qui scripserit: necessarium esse in vera tinctura figere, tingere, dare pondus, Gebrum verò ipsum in sua multenni theoria nec legit unquam, nec habet, alioqui non ita mutilatas & depravatas, sed integras & veras recitasset tincturæ conditiones. Duas enim alias nempe primam & quintam *thesi. 55*, ex suo cerebro confictas

in locum duarum fortaſſis ex Gebro omiſſarum primæ & tertiæ ſubſtituit, ut quinarius numerus completus eſſet. Sed hoc in loco aliter non ineptit, ac ſi cæcus præſcribat pictori mixtiones colorum. In prima ſua conditione ſcribit: tincturam chymicorum ita comparatam eſſe debere, ut materiam tingendam aptam faciat, ad auri formam recipiendam. Abſurdum. Quis te ignorantem artis docuit artificibus præſcribere leges tincturæ. Metallis modò ſuprà ſuffuratus es materiam auri, id eſt, negaſti cæterorum metallorum materiam cum auro communem, nunc eis illam per tincturam vis reddere. Vis à tinctura materiam tingendam aptam fieri ad formam auri recipiendam: at hoc eſt privationem, quæ eſt ſubſtantialis aptitudo ad formam, in ſubjectum introducere. Hoc autem eſſet metalla creare: nam privationem in ſubjectum iſtud introducere eſt proximam materiam auri vel communem metallorum materiam facere. Hac tua phantaſtica tincturæ conditione tum demum faceres tam auri creatores, quàm metallorum aliorum; contra quos, id eſt contra propriæ tuas creaturas in phantaſia tua genitas tantopere hactenus in theſibus tuis declamaſti, non contra legitimos artifices. Tinctura namque ex philoſophorum ſententia aptitudinem tingendi metallis nequaquam tribuit, ſed actum. Aptitudo prius naturâ ineſt materiæ, ſuper quam tinctura projicitur; ſicut Geber *in lib. de inventione veritatis cap. 2.* de ſeptem medicinæ propietatibus, requirit affini-

finitatem inter elixir & rem transmutandam. Quod si aptitudinem conferret cum actu simul, possemus ex quavis materia etiam extra metallorum genus aurum facere. At naturam imitantes hoc nequimus, sed solum ex subjecto determinato, nempe metallis, quibus solis inest potentia hæc passiva sive privatio suscipiendi formam auri. Duę sunt potentiæ, una agentis altera patientis: agens vero patienti potentiam passivam nunquam confert. Aptitudo autem suscipiendi formam auri in actum elicitur non à tinctura, sed ab igni, quia in projectione ejus metallum tingendum oportet esse apertum, ignitum & fluens, ut totum corpus pervadatur. Hæc est prima lex tincturæ artificibus posita temerè ab ignorante, alterum crimen omissæ veræ legis deterius est, quam Geber *libr.* 4. *sum. perfect.* ita descripsit, nisi omne superfluum per medicinam auferatur ab imperfectis, scilicet ut ab illis tollatur omnis superflua sulfureitas, omnisque terreitas immunda, non perficientur (ita enim legendum est in Gebro ex MS. pro purificentur) Ex quibus verbis liquet, quod etiamsi tinctura antichymistæ tingat, figat, det pondus, tamen si non separet à mercuriali substantia imperfectorum sulphureitatem immundam, terrestrē & auro extraneam, non fieri verum aurum & salutare, sed sophisticum & venenatum, quippe à quo halitus illi venenosi nondum separati fuerint, ex qua impuritate in commixto relicta, nec fusionem solarem habebit, quam proprietatem tincturæ in ordine apud Gebrum tertiam

anthichymista similiter quasi ad rem nihil pertinentem prætervit, cum tamen, nisi fusionem præstet solarem examina auri non sustineat, sed de commixto rursus recedat, ut docet Geber. Et quid nobis prodesset mercurius à tinctura tua aptatus, fixus, tinctus, pondus habens, at non fusionem? Risum moves artificibus ineptiis tuis, quando dicis tincturam debere esse actu siccissimam, potestate verò humidam & fusibilem in igne, cum potius potestate sit siccissima: nam siccitas alchymiæ tingit, inquit Rhases *in lib. 3. verborum*, qua potestate Mercurii humiditatem in projectione siccat & ad mediocritatē redigit. Neque hæc est de substantiali proprietate tincturæ, quæ non minus in forma olei & liquoris, quàm in forma pulveris præparari potest. Itaque æquè actu humida & potestate siccissima esse potest. Quintam proprietatem tincturæ, quàm antichymista de suo addidit, Geber non posuit. Est enim effectus potius ex proprietatibus illis consequens, sicut & aurum ipsum prius igne examinamus, quàm cordiale esse pronunciamus. Sed notanda est vanitas antichymistæ sibimet contradicentis. Hac enim *thesi. 55.* ait proprietatem tincturæ esse, dare imperfectis metallis vim cordialem, & alexipharmacam. *thesi* verò *64. & 67.* hanc tincturæ proprietatem simpliciter negat, ex uno ore efflans calidũ & frigidũ. Si tinctura imperfectis metallis in projectione vim largitur cordialē & alexipharmacã, cur non magis per se sine hac projectione corpori humano

mano eandem virtutem supereminenter conferret, vis enim unita fortior, quam dispersa? At inquies: hìc ex mente Chymistarum, *thesibus* verò *64. & 67.* ex mente mea loquor. Nihil est, inquam. Nam nemo Chymistarum sicut nec Geber inter conditiones & examina tincturæ istud retulit, sed tu solus ex mente tua & multorum annorum phãtasia inani. Disce ergò posthac cautiùs disputare.

XV. Argumentum prolepticum adversus metallorum transmutationem, utrum verè ex ferro fiet æs.

THesi 40. scribit antichymista niti Chxmicos, Metallorum transmutationes essentiales fieri posse, & sic eorundem in aurum quoque esse possibilem amplius exemplis probare, nimirùm ferri in cuprum, cupri in orichalcum. Sed *thesi 41.* non essentialem hanc speciei in aliam speciẽ esse transmutationem: sed accidentalem solummodo se sic probare:

1. Ex eo, cum specificatio & formarum in materias introductio sit opus à solo Deo dependens, ut habet *thesis sua 15. & 18.*

2. Cum per istas aquas minerales non introducatur color luteus vel rubicundus: sed absterso nigrore latens rubedo educta diluatur. Ita ut aurichalcum nihil aliud sit, quàm cuprum politum, & cuprum factitium nihil aliud, quàm ferrum politum.

3. Et quænam subdit, est ratio consequentiæ

hinc argumentari ad tincturam auri? num color auri rubescens, sed constans consimiliter latet in argento, hydrargyro, plumbo, stanno? & pondus auri in ferro atque cupro.

Responsio.

Metallorum transmutationem possibilem esse, sole meridiano clarius constat ex notissima illa ferri in cuprum transmutatione, tam apud vulgũ, quàm apud Chymicos. Quod etiam Agricola Chymicis alioqui parum amicus attestatur *lib.* 1. *de natura fossil.cap.*2. inquiens; *Smolnicij oppido Carpati montis ex puteo extrahitur aqua in canales triplici ordine locatos, in quibus positæ portiones ferri vertuntur in æs. Minutum autem ferrum, quod in fine canalium collocatur, talis aqua ita exedit, ut fiat quasi lutum quoddam. Id verò postea excoctum in fornacibus fit æs purum bonumq;.* Cepusij aquis similis est non Ochra fluvius, ut ex falsa relatione Agricola *libr.* 1. *de natura eorum quæ ex terra effluunt cap.* 11. scripsit, sed rivulus quidam acidus cui novi fontis nomen est, apud metallum Goslariæ in Ochram decurrens, ut verius traditur *in Pis.lib.*1.*cap.*17 In eo ferrum spacio 14. dierum positum in æs optimum mutatur. Nec solum nativâ aquâ ærosa, sed & factitiâ talis transmutatio fit. Sicut rursus Agricola *libr.* 1. *de natur.fossil.capit* 2 *in fine* subdit: *Quin etiam vetus aqua, quæ aurum ab argento separat, quia ex atramento sutorio cõficitur, ferrum in æs transmutat.*

mutat. Idem facit lixivium Ruticenſe ex pyrite calcinato factum, ut Paracelſus docet *in tractatu de tinctura phyſicorum*, adeò ut hoc factitium cuprum præſtaret bonitate ipſi nativo. Unde cum Baro in Caſtein maxima copia ferro undique coempto, id fieri procuraſſet, omnisque cupri negotiatio ad ipſum ob præſtantiam metalli devolveretur. Suacenſes cum Tirolenſibus damnum apud Imperatorem ſupplicibus litteris conqueſti obtinuerunt, ut mandato inhiberetur illis, porrò hac mercatura pauperiem facere. Ex quibus maniſeſtiſſimè patet, tàm artificiali, quàm naturali aqua chalcanthi ferrum in æs tranſire. Sed quid noſter adhæc antichymiſta? Ait ſolummodo accidentalem & non eſſentialem fieri hìc tranſmutationem, ex eo, quod ſpecificatio & formarum in materias introductio ſit opus à ſolo Deo dependens. Sed ô bone, umbratilis in pulpito ſpeculatio experientiæ nihil præjudicat. Non enim à tua phantaſia, ſed à rebus potius rei veritas petenda eſt, ut docet Ariſtoteles 10. *metaph. cap.* 10. Fallis autem teipſum paralogiſmo conſequentis. Non enim omnis formarum in materias introductio, eſt opus à Deo ſolo & immediatè dependens, niſi opus creationis & miraculi. Si enim omnis generatio, in qua forma extrinſecus materiæ immittitur, eſſet creatio ſeu opus à Deo immediatè dependens, ſanè neque natura in generatione æquivoca formas materiæ immittere poſſet, & generatio quoque æquivoca non eſſet natura-

turalis generatio, sed creatio, cum in omni tali generatione forma materiæ extrinsecus adveniat. Atqui ipse antichymista thesi sua tertia fassus est generationem sine semine esse naturæ insitam vi primæ benedictionis, quod est concedere generationem æquivocam, quæ eam ipsam ob causam dicta est æquivoca & sine semine, & spontanea, & ex putredine, quoniam in illa formæ non è materia educuntur, sed aliunde in materiam introducuntur. De qua re Scaliger *comment. in libr.* I. *Theoph. de caus. plant. capit.* 5. *Si in fimeto muris forma non est, & mus generatur ibi, muris ibi formam esse novam aliude immissam necesse est. Quis eam constituit? Ut solem neges autorem alium quempiam statues necessariò. Nihil enim fit à seipso.* Hæc Scaliger. Si ergò omnis aliunde formarum in materias introductio esset creatio, seu opus à Deo sine natura dependens toties opus esset nova creatione, quoties mus è fimeto, vel rana ex luto gignitur, quod est absurdum, & contradictorium eius, quod antichymista asseruit *thesi* 23. Deum à creatione omnium rerum die septima quievisse. Quemadmodum igitur natura utitur troque generationis modo, univoco & æquivoco, præsertim in imperfectioribus, ut gignens murem ex mure per eductionem formæ ab interna potentia materiæ seminalis, & murem ex fimeto, quisquiliis vel sentina vel luto Nili intromissa extrinsecus forma: ita homo imitando naturam procurat generationes rerum interdum ex simili, ut apes ex apibus, pyros ex pyris, interdum ex dissimili,

ſimili, ut apes ex vẽtre tauri, veſpas ex carne aſini, ſcarabæos ex carnibus equi, locuſtas ex carnibus muli, ſcorpiones ex baſiliſco, ranas ex anate, & piros per inſitionem ex aliis arboribus transplantata ſpecie. Similiter in mineralibus natura gignit, vitrum, lapides, metalla & cætera ex propria materia: quæ eadem facit etiam homo ex aliena, non quidem contra, ſed præter naturam activa naturalia cum paſſivis coniungendo, ut vitrum ex cinere, lapides vel lateres ex luto, ſal ex rebus crematis, cinabarim ex mercurio & ſulfure. Ita quoque æs facit alias excoquendo ex propria minera, ut lapide pyrite vel fiſſili, alias ex diverſæ ſpeciei materia, ut ex ferro immiſſa extrinſecus forma veluti principio mutationis per aquam chalcanti. Non quod homo faciat vel creet formam vel materiam (accipit enim utrumque à natura factum) ſed quod principium activum cum paſſivo conjungat ad producendum compoſitum naturale. Natura eſt quæ dat formam, dat materiam, quæ mutat, corrumpit, generat; nos tantummodo foris ei obſtetricamus noſtro miniſterio, & magiſterio.

Altera ratio non eſt ratio, ſed portentoſum κρησφύγετον, quo comminiſcitur in ferro tantum fieri accidentalem mutationem, quia per aquas iſtas minerales non introducatur color luteus vel rubicundus, ſed abſterſo nigrore rubedo educatur, ita ut æs citrinum nihil aliud ſit quàm politum cuprum, & cuprum ex ferro factum nihil aliud ſit, quàm politum ferrum. Sed nugatur anti-

chy-

chymista ita de metallis, quemadmodum cæcus de coloribus. Primum enim ignorat, quid sit transmutatio substantiæ, & quid alteratio coloris: Putans transmutationem æris in aurichalcum similem esse ei, quæ est ferri in æs, cum tamen in ferro ferri species in æris speciem transmutetur, in aurichalco verò non species, sed color duntaxat alteretur: qui forti ignitione rursus abit manēte æris specie. Deinde nescit latinè quid sit polire, quid tingere appellans aurichalcum cuprum politum, quasi aurichalci coctores essent cupri politores, quem etiam pueri in officinis solœcissmi redarguerent & riderent. Cæsalpinus *lib.1.de metall. cap.9.* cretis poliri metalla tradit, dicens: *Aliæ cretæ sunt, quas fullonias appellant, quibus argentum politur & aurichalcum & ferrum.* Et Agricola *de natura fossil. libr.1.cap.11. Aliqua restingunt metalla, ut cadmia & magnetis æs.* Etenim si cadmia ad æs addatur, aurichalcū fit, si magnetis, (id est alumen plumosum) æs candidū. Audis, absurde antichymista, quem insania multennis speculationis adversus artem chymicam etiam latinè loqui dedocuit, cretis poliri orichalcum, cadmia æs tingi, non poliri. Nitor politurę effectus est, color tincturæ. Tertiò semetipsum contradictione manifesta cōfutat, negans hic extrinsecus in cuprum colorem luteum introduci. Si enim tinctura artificialis, ut *thesi 62.* definit, est duarum substantiarum coloratarum compositio, sanè extrinsecus introducitur tinctura in cuprum ab altera parte compositionis, nempe à cadmia. Quid enim manifestius est,

est, quàm æs à cadmia tingi extrinsecus, nec aurichalci colorem ab intus ignis vi educi? Si posset in cupro sola vi ignis latens rubedo educi & dilui, quid opus esset admixtione cadmiæ? Color ergò citrinus in aurichalco, non à cupro solo est, sed ab ambabus substantiis junctim, ex quarum mistura fit, tertium neutri simile. Item si color æris citrini esset tantum educta rubedo dilutior, aut ex sola politione cupri per ignem, non fieret accessio substantiæ in pondere. Color enim intus tantum latens in corpore, eductusque in actum ponderi nihil addit; at politio illud etiam minuit. Atqui ex cadmiæ mixtura æs in igne pondere crescit etiam ad miraculum usque artificum, ut legitur apud Erckerum Cæsareum docimastam. Color itaque orichalci non est educta latens rubedo in ære neq; à politione, sed ex duabus metallicis substantiis alba & rubra fit mistus color medius citrinus. Adhæc si ignis per cadmiam nigrorem æris absterget, & id poliret tunc vehementior ignis & diuturnior id magis abstergeret poliretque. At excoctio aurichalci fit certo ignis gradu definitisque horis, ut artifices norunt, & igne intensiore & in eo longiore mora evaporat rursus cadmia, reditq; pristina æris rubedo. Ergò aureus color à mixtura cadmiæ est, quatenus permanet cum ære, & non abstersione nigroris vel politione: alioqui rubedo non rediret & maior ignis magis dilueret & poliret. Præterea quis tibi dixit cuprum ex ferro factum esse ferrum politum? Dic unam autoritatem artificis vel viri saltem boni: vel unum saltem argu-

argumentum probabile ad speciem. Quia ita manifestè veritatem quinque sensuum negas; helleborismis potius refutandus es, quàm rationibus. Quid enim aliud est, cuprum dicere ferrum politum, quàm nivem dicere atram. Ad quam τῆς διανοίας ἀῤῥωςίαν nemo adhuc inimicorum artis hujus pervenit, imò confitentur omnes, ut supra Agricola, fieri ante æs purum probumque, quod etiam à ferro discernitur tactu, gustu, odoratu, visu, in duritie, amarore, odore, sono, colore. Imò nisi hoc artificio tota substantia ferri in totam substātiam æris transiret, portionem ferri etiam minimam certo ignis judicio in æris huius excoctione deprehenderemus. Constat enim Erckeri, Faxii, cæterorum docimastarum & excoctorum metallicorum concordi judicio æs ad regulam excoqui non posse, si vel parva ferri portio insit, sed manere intractabile. Hinc scribit Agricola *libr. II. di re metallica, Si particula alicuius instrumenti ferrei casu in catinum, ubi eliquatur, inciderit, aut ab homine malevolo injecta fuerit; æs antequam ferrum consumatur, confici non posse, & sic laborem duplicari.* Hoc verò æs, quod ex ferro fit, adeò est tractabile ut etiam præstet nativo, quale inprimis est Ruticense, de quo supra audivimus. Dum igitur antichymista contra communem & sensum & consensum hominum, infallibilemque docimasiam artificum dicit hoc æs ex ferro factum non esse æs, sed ferrum politum, nihil aliud ex seipso facit, nisi stultum politum.

Tertiò in fine theseos huius in suis sibi sophisticatio-

cationibus, quasi applaudens quærit, quænam sit ratio consequentiæ hinc argumentari ad tincturã auri. Respondetur hanc esse, quod cum inimici artis semper inficientur metallorum species verè transmutari, hoc exemplo ferri in æs transeuntis per tincturam ærosæ aquæ seu vitrioli, quod est primum ens æris, evidentissimè demonstretur, metallum in aliud metallũ verè transmutari posse, & per consequens etiam in argentum vel aurũ similibus tincturis speciei vel primis entibus. Nec quoque color auri vel rubedo fixa latet (ut falsò causatur) in cæteris imperfectis metallis nisi potentia remota, sed extrinsecus per tincturam immittitur ab artifice, quemadmodum ferro tinctura cupri foris advenit. Color auri, pondus auri, &c. latet in metallis imperfectis materialiter non formaliter. Sed adhæc responsum satis est in xi. argumento.

XVI. Argumentum & alterum prolepticum, thes. 45. & 46.

DEinde Chrysopæi similia exempla transmutationis specierum adferunt. 1. cibi ac potus in sanguinem. 2. excrementorum in lumbricos, pediculos, ascarides, scarabæos. 3. Lolij in triticum, & vicissim vel tritici in siliginem, platani in oleam, silvæ abiegnæ in betulas & vicissim. 4. lignorum in lapides, *thes.* 45. Concedo ista omnia: sed naturam hanc à Deo facultatem per benedictionem accepisse, aio: nam in qualibet materia latére na-

F turam,

tuam, quæ materiam ſic aut ſic diſponit, ipſi naturæ effectus docent. At verò quid iſta generatio ad aurificium: cum oſtenſum ſit à natura nullum unquam metallum generatum eſſe. 2. Mutationem (addit) ſpeciei in meliorem ut platani in oleam fieri ex ſoli bonitate à natura benigniore, at in deteriorem accidere aberratione naturæ à ſuo ſcopo ob impedimenta, uti monſtra etiam prodeant ex ſeminibus animalium atque ſtirpium. 3. Ligna lapideſcere demerſa in aquas lapidoſas, mirum non eſſe, ſi humor iſte pervadat lignum, & poſtea indureſcat in lapidem.

Reſponſio.

Tranſmutationes ſpecierum propinquarum in propinquas naturæ non inſolentes eſſe conſpicitur in omni rerum naturalium genere, animali, vegetabili, minerali & elementari. Quod in duob. prioribus antichymiſta hìc concedit, id pro confeſſo acceptamus, quod verò in minerali negat, & in elementari negligit, nos ex ſupra demonſtratis amplius revincemus & complebimus. Et unum quidem ex altero demonſtratur. Si enim (inquit Dionyſius Zacharius *tract. 2. de lapide*) elementa qualitatibus ſuis ſibi mutuò contraria in ſe invicem convertibilia ſunt, quantò magis ipſa metalla, quæ non ita ſunt qualitatibus contraria, ſed unius eiuſdemque ſubſtantiæ & materiæ. Elementa autem ex ſe-

ex ſemetipſis viciſſim & alterius generari probat Ariſtot.3 *de cœlo,cap.6.*& ipſo etiam ſenſu eſſe evidens *lib.2 de ortu & int.cap.4.* Ergo multò magis metalla in ſe invicem ſunt convertibilia. Item ſi efficax eſt argumentum Theophraſti *lib.1.de cauſ. plant.ca.5.* quo veluti exemplo à maiori comprobat generationem plantarum ſpontaneam, aſtipulante Scaligero: Si,inquiens,animalia, quæ ſunt operoſiora naſcuntur ex putredine, tantò facilius planta: pari ratione aſſumere mihi licet, ſi animalia & plantæ, quæ ſunt operoſiora & nobiliora naturæ opera de ſpecie in ſpeciē transmutabilia ſunt; quantò facilius metalla, quæ ſunt ſimplicioris formæ & propinquiora elementis, ut notum eſt & atteſtatur Scaliger cum Theophraſto *libr.2.de cauſ. plant.cap 5.* Huius verò permutationis ſpecierum in plantis veriorem (quā antichymiſta hic de platani in oleā & tritici in lolium verſione) rationem reddidit Scaliger, inquiens: Herbas propriis formis amiſſis alias induere non eſt mirum. Habent enim inter ſe communia principia. Quæ ratio univerſaliter vera eſt in omni genere naturali. Si enim quæratur cur animal in aliud, planta in aliam, metallum in aliud, elementum in aliud ſpecie tranſeat, generalis ratio eſt; quia habent inter ſe communia principia, id eſt, commune genus, ſive eandem proximam materiam. Quando platanus in oleam, abies in betulam, triticum in lolium & viciſſim abit, non penitus abolетur omnis plantæ forma, ſed ultima tantum fit alia,

nec fit corruptio generis, sed speciei. Quod in vivacibus plantarum seminiis contingit, in imbecillis haud item. In illis natura speciem, quoad potest, in semine conservat; si non potest, satis habet conservare saltem vitam in genere, & transit in alteram speciem non tam volens, quàm invita, ut Scaliger ait. Legumina verò ob imbecillitatem si corrumpuntur, non habēt refugium in aliam speciem, ubi conservent vitam generis, sed omninò pereunt. Hæ permutationes specierum quæ fiunt sub genere proximo, non sunt adeò remotę & mirabiles, quàm illæ in quibus cum specie mutatur etiam genus. Quamobrem satis mirari non possum, cur antichymista thesi hac scribat, non ęsse mirum ligna demersa in aquas lapidosas lapidescere. Si enim vegetabile quale est lignum, in minerale, qualis est lapis, transmeat, non solum species, sed etiam genus, & quidem nō propinquum propinquo, sed remotum remoto permutatur, maximo naturæ intervallo & saltu, non video quid antichymista admiratione dignum putet. Legimus enim *libr.2.de ortu & int.cap.4.* apud philosophū: ex aëre terram fieri, sed difficulter, διὰ τὸ πλειόνων εἶναι μεταβολήν, & in iis quæ symbolum commune qualitatis habent, promptius unum in alterius naturam transire: quæ verò symbolo destituuntur, ut terra & aër, ignis & aqua, tanta facilitate non mutari, sed plus requiri laboris & temporis. Pariter facilior est transitus eorum, quę specie distant, quàm quæ genere: Quæ enim genere diversa sunt, inquit

inquit Aristoteles *9. metaph. cap.* 10. plus distant quàm quæ specie) quoniam in generum permutatione plus alterationum fieri necesse est, quàm in specierum, quæ unum commune genus velut symbolum & convenientiam substantiæ in propinquis principiis habent. Sic animal in aliud animal, planta in aliam plantam, metallum in aliud metallum facilius transit, quàm animal in plantam, vel contra, vel minerale sive metallum in alterum horum. Quid ergò mirabilius antichymista non mirante substantiarum transmutationem maximo intervallo distantium, qualis est plantæ in lapidem, interim verò stupente supra modum metabolen propinquarum specierum, quæ symbolum substantiæ in uno communi genere habēt, id est, metalli in metallum. Perinde est ac si nihil miretur anseres Scotiæ in arboribus nasci, miretur verò anseres nostros incubatu ex ovis anserum excludi. Esto sanè nihil habeat miri lignorum in cotes conversio: neque ergò miretur generationis metallorũ oppugnator, ferri ex ligno genesin eodem naturæ miraculo. In Hybernia enim est lacus) ut Turnes. in Pison. *libr.* 1. *cap.* 17. & P. Jovius *in descript. Hyberniæ* testantur) foliorum & graminis impatiens, in quo si lignum vel baculus defixus certo temporis spacio steterit, pars ima, quæ terram tetigerit in lapidem, pars altera, quæ aquam, in ferrum convertitur, pars tertia baculi ab aquis prominens lignum permanet. Idem Georgius Fabricius *de re metallica capite septimo* testa-

tur in Lusatia & Silesia effossum ferrum nova incrementa accipere ex terra arborumque truncis primum liquori cuidam denso similibus, postea magis magisque indurescentibus, donec tandem ferrum evadat. Ferrum hoc fortassis dicere posses, quanquam non verè, lignum politum sicut supra æs ex ferro factum dicebas ferrum politum maiori insania. Sic & ligna in lapides conversa polita ligna nominabis. Neque ferrum hoc in lacu Hybernico vel in Lusatiæ Silesiæque metallis ex ligno generatum sophisticum est, & à Satana præstigiosè suppositum secundum thesin 74. propterea quia in principio creationis in primo statim die non sit creatum secundum thesin 5. sed fieri quotidie adhuc potest (per virtutem mineralem aquæ & loco huic insitam colcotarinam, quod est primum ens ferri) pro arbitrio tuo, quo (nisi generationem metallorum ex responso meo ad primum argumentum tuum didicisti dudum) te relegamus ut oculari fide experiaris generari adhuc metalla & insanæ tuæ theoriæ tandē sapientior factus longum dicas vale, atque persentiscas permutationem specierum æquè in minerali, atque in animali, vegetabili & elementari genere possibilem esse.

VII. Ar-

VII. Argumentum à negatione effectus medicinalis. thes. 64. 65. 66. 67.

VAnitas tincturæ seu lapidis philosophici manifesta quoque est ex effectibus nugatoriis, quos in corpore humano habeat. Vim enim huic tribuunt, quod omnes ut metallorum, ita humani quoque corporis impuritates auferat: quod causa longissimæ vitæ esse possit; spirituum sanguinis atque partium integritatem conservet: sit prophylactica & universalis medicina, hoc est, omnes morbos præcaveat, & arceat; summa; quod sit Deus aliquis hominum à morte liberans atque defendens.

Huiusmodi in hominem cadat impietas atque dementia? Deus solus est longitudo dierum nostrorum, non creatura ulla. Ante diluvium fructus stirpium adeò salubres erant, ut valetudinem prosperam atque vitam tuerentur ad multa secula. Illam vim Deus plurimum minuit post diluvium tot iteratis terræ maledictionibus propter peccata hominum. Istas ne maledictiones divinas fictitius lapis ab alimentis & medicamentis omninò auferet, Deoque vim inferret. Quis ex huius lapidis fabricatoribus longævus fuit?

Universalem medicinam sive simplicem sive compositam non ferunt primò contrarii morbi, horumque causæ in alterationibus: secundò diversitas eorum, quæ ex corpore vacuari, propelli atque extrahi debent; tertiò imò vel sola

venenorum diversitas : quartò blasphemia hæc est in Deum conditorem, quod ociosè tantùm remediorum varietatem nobis largitus est, si curationes omnes hoc uno lapide queant perfici.

Responsio.

Actum esset de omnibus artibus & scientiis, si de eis statuendum foret ex sententia & oculis imperitorum hominum, qualis hic antichymista est. Si rusticus neget Rhabarbaro purgari bilem, margaritis recreari cor & spiritus vitales, quid medicus faciat? Sanè unus stultus potest tantum negare, quantum vix mille sapientes probaverint. Discentem, ait philosophus, oportet credere: qui non credit finem artis acquiri posse, abeat ex acroatorio nostro. Hunc nihil moramur. Artifici cuique in sua arte fides habenda. Vim autem huius medicinæ in humano corpore affirmant unanimi consensu philosophi, quicunque de hac arte scripserunt, inprimis verò Trismegistus, Aristoteles ad Alexandrum, Plato in quartis, Geber, Morienus, Calid, Hortulanus, Rogerius Baccho, Arnoldus, Lullius, Rupescissa, Scotus, Holcot, Ægidius de Vadis, Robertus Vallensis, Richardus Anglicus, Comes Trevisanus, Antonius de Abbatia, Ulmannus, Johannes de Padua, Marsilius Ficinus, Dionysius Zacharius, Flammellus, Augurellus, Laurentius Ventura, Ulstadius, Riplæus, Christo-

Christophorus Parisiensis, Isaac Holandus, Basilius Valentinus, Paracelsus, Dorneus, Phœdro, Severinus Danus, & aliorum, qui Alexiana humilitate latere voluerunt, scripta adespota, aurora cõsurgens, clangor buccinæ Scala philosophorum, Etymologiæ philosophorum, consilium conjugii solis & lunæ, ludus puerorum, rosarium majus, rosa aurea, palmarium philosophiæ, via universalis, seu studium Florentinum, lilium inter spinas, lilium intelligentiæ, quæstionarius, Directorium summæ summarum, hortus sapientiæ, practica universalis. Habes quinquaginta unum philosophos nominatos & innominatos, idem asseverantes de lapide sive elixire Philosophorum, quorum unius saltem experientiæ plus fidei tribuendum est, quam tuæ tuiq; similium, ô antichymista, quinquaginta millium inexperientiæ temerariæq; negationi. Objiciat nunc aliquis ex notis Michelianis *pag.* 148. Bernhardus aliquoties sibi factum esse lapidem narrat, sed ubi historiæ auxiliorum? Respondeo. Bernhardus in præfatione sui libelli expresse scribit his verbis: ego ipsemet expertus sum in multis leprosis, caducis, hydropicis, hecticis, apoplecticis, iliacis, dæmoniacis, insanis, furibundis & aliis quam plurimis. Ecce historias auxiliorum Bernhardi, quas prius legisse, quam ita scripsisse decuit. Similiter alibi de Arnoldo: Arnoldus, inquit, metalla & mercurium transmutavit, morbos omnes uno lapide universali, quando & ubi sanavit. Respondeo. Richardus in correctorio *cap.* 11. scribit in hæc verba: lapis habet multas seu omnes

mnes ægritudines curare, quod patet per Arnoldum de villa nova, qui Papam Innocentium ab infirmitate cæteris medicis incurabilem liberavit. Et Ulstadius *cap.* 34. Dicit Arnoldus de villa nova se curasse Henricum ducem Veronæ ex precibus patris sui regis Arragonum, qui tribus mensibus leprosus fuit, & tribus diebus convaluit. Ait etiam se usum fuisse hac medicina in senectute sua, & quandocunque habebat calorem defectu naturæ vel etiam ex alia causa, ipsam medicinam cum re frigida temperasse, si verò habebat frigus medicinam moderabatur re calida. Et saltem duabus vicibus in anno utebatur, semel in æstate, & semel in hyeme. Ecce tempora & personas, quibus lapidem Arnoldus usus fuit. Pergit in notis Michelianis *p.* 147. *& capite de usu lapidis p.* 452. quis quæso tam simplex, quin hyperbolen ironicam in philosophorum verbis notet, quibus deprædicant virtutes lapidis in medicina? Respondeo, ex ore tuo te judico: In schediasmate 161. ad Heningum statuis contra libertatem scepticam grassandi in bonos autores, unicè tenendum illud 1. *elench. cap.* 2. discentem oportere credere. Et in eandem sententiam disputans contra Guibertum *pag.* 4. scribis: æternum esse axioma illud artificibus aliquid in sua arte providè pronunciantibus, nedum docentibus & principia ex ipsa natura proferentibus, suaq; experimenta ponentibus credendum esse, & non ideò negandum, quod mihi vel tibi videatur res impossibilis. Philosophi verò qui suis manibus hanc medicinam confecerunt, ejusq; virtutes experti sunt

ante

ante nos, uno ore testantur, eã esse omniũ morborum curatricẽ. Parum ergò tibi constas anticatholice, nec benè morati discipuli munus obiisse videris, dum præcoce sapidntia in philosophorũ verbis antequã mẽtem eorũ plenè assecutus fuisti, hyperbolen, id est, ut in schediasmate *127*. eam ipse appellas, mendaciorũ sacram anchorã fingis, quo errore alios etiam viros nõ in doctos seduxisti. Sed nimia altercatione cum Panaceario veritatem amisisti: si verò rationis aciem paululũ saltẽ intendisses, proculdubio nec medicinam hanc impossibilitatis, nec verba philosophorum hyperboles redarguisses. Non .n. es ex eorum numero, ut fateris ipse *p*. 147. in notis Michelianis, qui magisterio adversantur, sed credis sine hæsitatione lapidem esse universalem tincturam metallorum, & proinde quoq; credis lapidem sextuplici virtute esse præditum, secundum numerum sex metallorum; qua metalla calida & frigida humida & sicca, dura & mollia, gravia & levia, rubra, alba & nigra, reducuntur ad mediocritatem, sive crasin auri. Si igitur una tinctura ex metallis forma & discrasia diversis & contrariis facit unum forma & crasi medium, scilicet corpus auri, quid obstet, non video, cur non pariter credamus (nam à sex ad octo restat parvus saltus) unam solam nostram medicinam sufficere ad octo discrasias reducendas in crasin suam naturalem, præsertim cum ad medicinam universalem non plures virtutes requirantur, quàm octo. Docet enim Galenus *libr*. 1. *de temp. cap*. 8. *& lib*. 2. *cap*. 1. novem esse temperamen-

torum

rorum differentias, unam quidem, quæ mediocris sit, εὔκρατος, reliquas omnes intemperatas, quatuor simplices & quatuor compositas, sive cum materia sive absq; ea. Quemadmodum igitur Geber tincturam universalem definit *li. de invest.* Magister *c. 2.* esse superflua demere & absentia supplere in metallis: ita Hipp. *in lib.* de flatibus ait nostram medicinam, sicut & artem communem in humano corpore esse adjectionem necessariorum & detractionem inutilium. Eodem modo utrobiq; lapis agit segregando aliena & restaurando vel supplendo deficientia, & sic à discrasiis ad crasin, & perfectam sanitatem reducendo. Pergit iterum an icatholicus dicens: tamen si existat aliquis artifex, qui & faciat illum lapidem, & omnes omninò morbos ita feliciter sanet illius solius adjumento, parati sumus pedibus in istam sententiam ire. Exspecto ergò de universali medicina experientiam. Respondeo. Non necesse est denuò artis principia constituere per experientiam, quæ dudum à priscis constituta sunt. Si cujusq; absurdo postulato satisfaciendum esset, & rursus oporteret telam novam theorematum ab experientia exordiri, & non potius pertextam à priscis accipere, nullus foret artium & laborum finis. Artificum sane nemo ferculum novum tibi coquet, si præcocta palato desipiunt. Da mihi, ais, artificem, qui hæc præstet & credam. At, inquam, similem singularitatem petebat dives ille apud inferos pro fratribus, sed quid tibi & ei respondetur? Habent prophetas, habent philosophos, quorum supra com-
me-

memoravi nomina & libros, quibus credere oportet discentem. Illi ipsi namq; sunt, quibus ut Rhases *in libr. 70. praeceptorum* ait, innitendum est. Nec egemus ut ipse scribis *lib. 2.* contra Guibertũ, post constitutas artes novis inductionibus, quia jam comprobatum est studio, & peritia sapientũ, usuq; rerum magistro, ita sese habere. Si illos non audis, nec eos audies, qui existunt nunc artifices. Urget amplius anticatholicus jubens argumentũ proferri ab experientia evidente & historia singulari. Respondeo iterum, omnia dicta philosophorum esse argumenta usu explorata & suis aetatibus, historiis singularibus confirmata, ut modò suprà ex Bernhardo & Arnoldo audivimus experimenta hujus medicinae. Sed extant eadem de re adhuc nostro seculo testimonia publica, & historiae indubitatae fidei. In ore duûm triúmve consistat omne verum. Testimonium publicum est epitaphium Paracelsi, quod Salisburgi in nosocomio apud S. Sebastianum ad templi murum erectum spectatur, lapidique insculptum his verbis: conditur hic Philippus Theophrastus insimis medicinae doctor, qui dira illa vulnera, lepram, podagram, hydropem, aliaq; insanabilia corporis contagia arte sustulit. Similiter Michael Neander in geographia de eo, sic scriptum reliquit: multi Theophrasto multùm tribuerunt, ejusque ingenio & industriae, quae tanta fuerit, ut non modò celeriter sanitatem amissam corporibus hominum, sed etiam Metallis imperfectis perfectionem reddiderit. Extat & epistola senis cujusdam septuagenarii nomine Franci-
sci

sci natione Misnici, famuli olim Paracelsi ad amicum sciscitantem super hac re, quæ inter alia ita habet: Novi pari industria Paracelsum leprosos, hydropicos, epilepticos, podagricos, morbo venereo infectos, aliosq; innumeros infirmos gratis sanare. Superioribus tribus addamus & quartum, medicis fortassis notius, quod Valescus de Taranta in suæ practicæ *lib. 5. cap.* de stranguria ponit, inquiens: Sine dubio lapis philosophorum inter proprietates optimas (id est virtutes medicinales) & operationes quas perficit in corpore humano, habet proprietatem frangendi lapidem in renibus & vesica, & mundificandi utrumq; ut dicit Beriensis. Habemus itaq; de experimentis universalis medicinæ testimonia publica antiquo & nostro seculo celebrata, quæ negari nequeunt, taceo plura quæ ore tantum & fama vulgi circumferuntur, à majoribus accepta, cum suprà dicta veritatis amatori satis esse queant. Et si autem in adductis testimoniis non omnes morbi in specie nominati fuerint, quos persanarit medicina nostra, palam tamen est præcipuos & incurabiles alioqui sublatos fuisse. Ex quo consequitur omnes cæteros morbos multò majori facilitate curatos secundum axioma *topic. 2. cap. 10.* Quod magis vel maximè tale est, etiam simpliciter tale est: vel quod superat majus, superat etiam vel vincit minus. Negationes itaque antichymistæ sunt nugatoriæ & non virtutes medicinæ nostræ, quæ artificum & publicæ fidei documentis irrefragabiliter sunt confirmata. Nunc

ad

ad nostri antichymistæ nugas revertemur. *Thesi.* 66. inquit: dicere vitam hac medicina produci posse, hujusmodi in hominem cadat impietas atq; dementia? Deus solus est longitudo dierum nostrorum. Atqui ô hypocrita, iterum abuteris verbo Dei ad versus hoc donum Dei, & nobilissimam artem, sicut supra eodem abusus fuisti adversus naturam in generatione metallorũ. Præter enim id, quod confundis principia scientiarum probans conclusiones physicas non ex homogeneis & physicis, sed ex theologicis principiis, quod est contra κριτήριον bonæ demonstrationis, ubi nõ est transcendendum genus, sed omnia axiomata debent esse καθ' αὑτό, id est scientiæ propria; etiam cõmisisti manifestum crimen falsi in divinã scripturam. Nam *Deut.* 30. dicit Moses ad populum, ipse Deus est vita tua, & longitudo dierum tuorum, nequaquam verò dicit: Deus solus est longitudo dierũ tuorum, non creatura ulla. Nonne tibi eodem *libr, cap.* 4. *v.* 2 pręcipit: non addes ad verbum, quod loquor, nec auferes ab eo? tu autem addidisti ex figmento tuo exclusivã, qua adulterasti textum scripturæ, & sensum pervertisti. Nam si solus Deus immediatè voluisset esse vita nostra & longitudo dierũ nostrorũ sine ulla creatura, quid opus fuisset creatione mũdi? Quid parentib. naturalibus? quid pane quotidiano? quid aqua? quid sole? quid aëre? & cæteris ad vitę sustẽtationẽ necessariis ordinariisq; mediis? Deus, homo, & natura non sunt oppositæ, sed subordinatę causę, quæ in uno effectu cõgruere posśũt, sicut Paulus nobis declarat admodũ discre-

tis verbis. 1.*Cor.*3.*v.*6. inquiens: ego plantavi, Apollos rigavit, ſed Deus dedit incrementum. Sed contra hoc abſurdum & etiam illud alterum, quod ſuperius in 15. argumento de formarum in materias introductione à ſolo Deo immediatè dependente refutatum eſt, vide *Timpler. Metaph. lib.4. cap. 2. problem.* 40. Exclamatio igitur hæc adverſus medicinam philoſophorum, mera hypocriſis eſt, primo ſono ſpeciem quandam magni zeli & pietatis præ ſe ferens, ſed ſi à piis & acutioribus auribus attentius obſervetur, providentiam & miſericordiam erga genus humanum olim in natura poſitam, & per artes ſubinde auctam impiè & dementer negat. Nam etſi Moſes dixerit, Deum eſſe longitudinem dierum noſtrorum, non tamen excluſit panem quotidianum, vel aliud alimentum, ſine quo vita noſtra, teſte Hippocrate, eſſet tantū ἐπτήμερος, nec excluſit hanc vel aliam medicinā, quam idem altiſſimus de terra creavit, & vir prudens non abhorrebit eam, ſed ſtultus antichymiſta. Sed quid multis? Si Deus ſolus, ut clamat antichymiſta eſt longitudo dierum noſtrorum, excluſa medicina, id eſt ſi medicinâ dies vitæ prorogari nequeunt, quid aliud facit ex ſeipſo niſi inutilem inutilis artis profeſſorem & operarium, qui & ſuo principi & auditoribus opera & doctrina ſua ne hilum quidem proſit? Contra quam abſurdam & ipſi creatoris intentioni contrariam opinionem notanda eſt egregia illa ſententia Arnoldi de villa nova, quam poſuit in præfatione libri de conſervanda ſanitate, & retardanda ſenectute ad Rober-

tum

tum Hierusalem, & Siciliæ regem inquiens: licet in manu Domini sit omnium sanitas, mors & vita: non tamen Dei bonitas impedit, quin & naturalis inferioris naturæ cursus, prout eis desuper insitum est, suas peragat operationes. Aliàs medicina, quam propriè ad conservationem sanitatis & vitæ perfectionem creavit altissimus, frustrà esset. Hæc Arnoldus. Quod ipsius medicinæ princeps scopus sit vitam prorogare evidens est ex Galeno. *9. meth. medendi cap.* 10. scribente: Virtutem seu facultates servare, nihil planè aliud esse, quam vitam servare, & utriq; medicinæ, tam quæ morbos abigit, quàm quæ sanitatem tuetur, communem esse vitæ custodiam. Quid autem vitam custodire aliud est, quam vitam conservare, eamq; conservando in dies producere? Qui semimortuum in lipothymia vel hæmorrhagia jacentem rursus erigit recreatq; medicamentis, nonne à morte liberat, & vitæ ejus, quod reliquum est, tempus adjicit? Qui à scorpione vel serpente ictum vel à cane rabido morsum curat, veneno expulso vel restincto, is à morte liberato homini vitæ spacium prorogat. Qui pleuritico medetur nesiat empyricus & ex empyrico phthisicus, is à præmatura morte, quæ per phthisin tandem indubitanter infertur, redimit, vitamque ampliat. Sed de his plura in *lib. 3. chymicarum quæst. cap.* 7. ubi irrefragabilibus rationibus, etiam ex Galeno demonstratum est vitæ terminum non quidem naturalem, sed accidentarium medicinâ proferri posse. Quicquid enim vitæ prorogatur, vel potest prorogari, id omne solum finem

vitæ accidentarium concernit, declaratore etiã Avicenna *Fen.3 primi cap.1.* artis medicinæ dotes enumerante, ejusq; potentiam, impotentiamq; unà explicante: tria quidem esse, quæ præstare non possit ars, duo verò, quæ præstare facile queat, ubi inquit: ars quæ sanitatem custodit, non est ars, quæ à morte securos nos faciat (audi antichymista neq; communem, neq; secretam philosophorum medicinam esse Deum aliquem à morte liberantem atq; defendentem, ut hyperbolicè loquendo *thes.65.* ineptis) neq; corpus ab extrinsecis nocumentis (quę sunt casus inopinati, qui singulis momentis homini evenire queunt, ut vulnera lethalia, cædes, lapsus, incendia, naufragia, præcipitia &c.) muniat, neque unumquodq; corpus ad ultimam vitæ longitudinẽ perducat, quæ est secundum hominem absolutè, sed de duabus reb. securitatem præbet scilicet putrefactionis in corpore omnimoda prohibitione, & defensione humiditatis innatæ, ne citò dissolvatur, & in ipsius (scil. artis medicæ) fortitudine consistit, ut ipsum usq; ad debitum tempus secundum suam primam complexionem permanere faciat. Hæc Avicenna. Ergò in medica artis potentia situm est, putredinem prohibere, & nativum humorem, ne citò exhauriatur, diutissimè conservare, & vitam usq; ad debitum tempus prorogare. Et ut rem dilucidius proponã, cum terminus vitæ (siue mors) sit triplex naturalis, accidentalis, & violentus (prout ex superioribus colligi potest, & alibi plenius differetur, & Arnoldus etiam *lib. de humido radicali cap.4.* super hac re concludit) omnes operationes medi-

medicorũ non ordinari ad retardandã mortẽ naturalẽ dictã absolutè, sed potius ad tollenda omnia impedimenta veniendi ad illã. Et paulò post idem: Quando medicus dicit in ordinatione vel conside ratione cujusq; causæ salubris, quod mortẽ retardet vel seniũ, aut prolonget vitã & juventutẽ custodiat & reddat, id totũ dici respectu mortis accidẽtalis, quæ evenit à putredine vel humidi nativi prę natura ex haustione accidentali, nõ respectu illius quæ naturalis dicitur absolutè. Contra alterũ terminũ vitæ accidentariũ, id est, mortẽ violentã, alia cautela opus est cũ precib. & pietate. Hoc.n.modo unus monachus diutius vivit, quàm centũ milites. Sufficiat itaq; nobis gratia hęc divina ab arte medicinæ, licet ea terminũ naturalẽ vitę non extendat si modo remoretur, & removeat terminũ vitæ accidentariũ, ut ad naturalẽ illũ pervenire queamus, id est ad finem vitæ sano corpore & mente conserventur, ne ut psalmus habet, reliquũ senectutis nostrę sit labor & dolor, vel ut idẽ Plinius dicebat, ea sit in pœnã vivacis repuerascentis, sed Deo & proximo familięq; nostrę successurę potius utiles, quã molesti ad extremũ usq; halitũ simus. Secũdò quæ de salubritate stirpiũ & alimentorũ ante diluviũ & maledictionib. terræ post diluviũ toties iteratis antichymista nugatur absque ratione & auctoritate, quæ futilitati relinquo ; quod mox subdit exclamans. Istasne maledictiones divinas fictitius lapis ab alimentis & medicamentis omninò auferet, Deoque vim inferet ? Dicat hæc verba potius coquo vel pharmacopæo, quorum est

alimentorum & medicamentorū præparatio atq; correctio, non Philosopho, qui lapidem sive medicinam suam non alimentis nec medicamentis exhibet, ut in iis heterogenea ab homogeneis separentur, sed homini, in quo suam operationem mediante calore nativo propriè perficit heterogenea etiam ex cibo, potu, aëre &c. collecta è corpore per criticas expulsiones separando, & in temperaturas ad crasin redigendo, quantum possibile est. Quærit etiam antichymista, quis ex hujus lapidis fabricatoribus longævus fuerit? At inquam ostende mihi philosophum, qui hac medicina non longævus & immunis à morbis ad extremam usq; senectam fuerit. Credendum expertis, non tibi, cæterisque imperitis, qui tantum quærunt, & ad scientiam nunquam perveniunt. Paracelso diuturnior vita fuisset, si potius voluisset latere more cæterorum, quàm in oculis omnium cum invidia & odio multorum versari. Quapropter quod Seidelius *p. 136.* Et anticatholicus de usu lapidis *p. 147. &* 450 de Paracelso, objiciunt, nullius momenti est. Quid Eudemus Galenum de medicis Romanis super hac re docuerit, legere est in libro de præcognitione *cap.* 4. A violenta morte ex casibus inopinatis nulla nos medicina præservat, sed à morte accidentaria duntaxat ut supra dixi. Tertiò, tres objectiones, quas contra universalem hanc medicinam *thesi. 67.* protulit, falsitatis revincuntur una ratione & hypothesi Galeni & Hippocratis. Ex iis enim quibus *lib. 3. chymicar. quæst. cap. 2.* demonstravi medicinam universalem esse possibilem etiam secundum Galenum,

lenum, satis intelligitur, ut & Galenus docet, omni causæ præter naturam & omnibus morbis facultates vel virtutem ceu adversatricem esse oppositã, quam alibi & naturam & calorem nativum appellat. Huic (ait doctissimus Valleriola) uni generatio, auctio, nutritio ciborum confectio, distributio, & in sanguinem atq; humores mutatio, excrementorum expulsio &c. accepta referri debet. Hic sensiones omnes perficit. Hic motus in corpore omnes excitat. Hic tandem munia ea omnia obit, quibus vel vita foveri vel incolumitas servari in animãte possit. Hic unus malorum omnium depulsor atque medicus. Siquidem auctore Hippocrate, naturæ morborum medicatrices sunt. Hic valido impetu morbificas causas depellit, decretoria facit, excretiones, quibus finiri morbus queat, movet ipse ac concitat. Hic vitæ fons atq; fomes, quantum longissimè potest, eandem prorogat & tuetur. Huic in summa id quicquid est, quod vegetum & robustum in nobis apparet, quod solidum & constans, quod salubre & bene temperatum, acceptum referri summo suo merito debet, à quo omnia profluant ea, quæ in animantis tutelã consentiunt. Talium operum omnium innatus calor unus opifex est. Hactenus Valleriola. Nunc assumo. Si contrarii morbi, eorumq́; causæ, item excernendorũ vel venenorum diversitas non ferunt medicinam universalem, nec quoq; naturam ferent unam universalem morborum medicatricem. Atqui consequẽs est falsum, & tam naturæ, quã omniũ medicorũ decretis adversum. Nam una eademq; natura, unus

calor nativus omnes tēperamenti & humorū discrasias reducit ad crasin, per crises è corpore noxia quæq; excernit, causas morbificas, venena & morbos contrarios depellit, frigida calefaciens, calida refrigerans, sicca humectans, & humida siccans. Ergò & antecedens falsum esse necesse est, qua negatur vis universalis medicinæ, & per consequens obtinetur, quod idem præstare possit una medicina eidem naturæ seu calido nativo in similitudine substantiæ conveniens & correspondens, qua de re prolixius in *lib.3. chymic. quæst. cap. 9.* agetur. In quarta ratione rursus de more suo antichymista theologaster blasphemiam spirat, ex suo spiritu, nō veritatis dicens: blasphemiam esse in conditorem, quod ociosè tantam remediorum varietatem nobis largitus sit, si curationes omnes uno hoc lapide queant perfici. At ô antichymista in eadem pagina contradictoria statuis. Cur enim Deus omnib. hominibus concederet indiscriminatim hanc medicinam, id est, perfectam liberationem à morbis, si, ut ais *thesi* 70. immoto consiliò à Deo decretū est, propter abusus innumerabiles subtrahere mortalibus copiam auri & argenti: id est, si negata est hominibus perfecta liberatio à pauperie? Perfectæ enim liberationis à morbis & à pauperie eadem ferè & æqualis poteſt esse abusio. Ideo creavit Deus etiam particularia tamq; varia medicamēta, quoniam prævidit non fore omnes homines bonos, sed bonos malis mixtos, ne interim ij deserantur. Peccatorum frena sunt morbus & egestas. Cur pauperi non das potius centum florenos quam unum

num-

nummum? Si tu non potes largiri, certè reges possunt. At non faciunt, non solum quia non possunt, sed etiam quia non cuivis prodest esse divitem, ita nec cuivis prodest vitam ab ægritudine immunem & longævam adipisci: id quod per hujus medicinę administrationem fit, cujus usus recidivam non admittit, adeò ut corpus à morbis purificet, in decimam usq; generationem ut Paracelsus tradit in archidoxis. Apuleius fatetur se à numine edoctum, multa herbarum & lapidum genera esse, quibus homines etiam perpetuam sibi vitam contrahere possint (cujus tamen hyperbole ex arte nostra emendabilis est): sed fas non esse secretum eorum cognoscere, qui cum parvum tempus viventes malis avidè studeant, & nullum non scelus audeant, si prolixitate temporis potirentur, neq; diis ipsis parsuros. Et *Marsil. Ficinus. lib. 2.* de vita producenda *cap. 1.* inquit; instituta verò hæc nec in itineribus, ignavisq; communicare volumus. Quid enim cupiamus istos diu vivere, qui nec vivunt quidem, quasi fucos nutriamus, non apes? Nec hominibus divulgari perdita voluptatum libidine dissolutis, qui brevem quotidiè voluptatem longæ vitæ stultè præponunt. Nec improbis iniquisq; patefieri, quorum vita mors est bonorum. Sed viris duntaxat prudentibus atq; temperatis, solertis ingenii, virib. humano generi vel privatim vel publicè profuturis. Hæc Marsilius. Sicut igitur facile concedimus id quod asserit antichymista θ. 71. ꝙ cõmunis hominũ vita nõ egeat aurificio, id est, ꝙ ex bonis & malis promiscua hominum turba non aurificio,

ſed ſuis quiſque laboribus ſuſtentationem quære-re debeat (noſter enim lapis philoſophorum eſt, non cerdonum vel idiotarum) ita nec hæc medicina radicaliter omnes morbos excidens bonis & malis promiſcuè exhibenda eſt, ne in perniciem bonorum foveamus vitam malorum, id eſt ne margaritis objectis foveamus porcos, qui nos conculcent, aut canes à quorum morſu tuti non foremus. Medicamenta ſunt manus Deorum, inquit ille Universale manus dextra eſt, particularia ſiniſtra. Bonis dextra, malis ſiniſtra ſuo merito porrigitur. Quod quidem non ita accipiendum puto quaſi interdum ex probabili ratione, urgente neceſſitate, non poſſit unum & alterum granum cæteris medicamentis mixtum ejuſmodi hominibus exhiberi, ſed quod eis hæc medicina diſſimulanda ſit, frequentiorq; uſus denegandus.

XVIII. *Argumentum à negatione chryſopœiæ id ſecundi effectus theſ. 74. 75.*

FIrmiſſimè concludimus omne aurum, quod pro auro venditatur in hiſtoriis chryſopæorum & à Deo non fuit creatum in principio, vel eſſe ſophiſticum, meraſq; præſtigias cacodæmonum, vel à Satana ſuppoſitum.

Et per conſequens omnes illos homines, qui hujuſmodi laboribus in eum finem dediti ſunt, aliis ut fucum faciant, omnium mortalium eſſe nequiſſimos, θεομάχους, manifeſtos impoſtores, furibus maximis longè deteriores, indignos Chriſti-

ano

no nomine, graviſſimis verò magiſtratus pœnis digniſſimos, ſi à ſuo errore avocari ſe non patiantur, aliisque imponere non deſiſtant.

Reſponſio.

Niſi hoc argumento antichymiſtam propriæ impoſturæ & omnium eorum criminum, quibus philoſophos & bonos artifices coram magiſtratu & illuſtriſſimis imperii principibus nugaciſſimè onerat, revicero, mendaciaque in ipſius jugulum retorſero, ego ero unus reorum cum illis, neque culpam neq; pœnam deprecaturus ullam. Quanquam autem paralogiſmus iſte in reſponſo ad primum argumentum ſatis refutatus fuerit, tamen quoniam illum toties antichymiſta in tota diſputatione inculcat, & hìc in fine repetit, tanquam principale fundamentum hæreticæ ſuæ in philoſophia pravitatis, ſuper quo uno extructa tot mẽdacia, convicia, calumnias, capitalesque criminationes ſuas arti & artificibus intentat; philoſophorum præſertim Ariſtotelis & Galeni dictis veluti flagellis tantam temeritatem ob profeſſionem caſtigabimus, illiusque os impudens evidentiſſimis rationibus tanquam baxeis Socraticis ad ſatietatem uſque obverberabimus. Ad detegendam autem apertiùs impoſturam breviter & ſuccinctè ſophiſma reviſemus in legitima ſyllogiſmi forma quod tale eſt:

Omne aurum, quod à Deo non fuit creatum in

principio aut est sophisticum, aut à Satana suppositum.

Aurum quod pro auro venditatur in historijs Chrysopæorum, non fuit creatum in principio.
Ergò aurum Chrysopæorum vel est sophisticum, vel si est verum à Satana suppositum.

Ut nihil dicam de forma ubi minor pui è est negativa in prima figura: Maior simpliciter est falsa, ex ignorantia puræ negationis. Nec ex inductione aut demonstratione secundum Aristotelem *1. poster. analyt. cap. 15. 2. post. cap. ultimo & 6. ethic. Nicom. cap. 3.* nec secundum Galenum à ratione aut experientia, quæ duo sunt sola cognitionis & veritatis instrumenta, *lib. 2.* secundum locos *cap. 1. lib. 1. meth. med. cap. 3. libr. de element. cap. 2.* ortum habet legitimum & naturalem, sed spurium & sophisticum ex fallacia testimonii, sive crimine falsi. Captiosum enim non solum est ex alterius scientiæ genere longè, & inconvenienter petitum testimonium, sed multò magis adductum contra mentem & expressa verba scriptoris. Moses (inquit antichymista) in 1. cap. Geneseos non scripsit aurum vel metalla nasci: Ergò omninò non scripsit nasci. Hoc est apertum mendacium contra Mosen, à quo mox secundo capite expresse scriptum legitur, aurum nasci. Eiusdem fallaciæ sophisma est. Moses nihil meminit de benedictione terræ in generatione metallorum: ergò metalla non generantur. At inquam, ô bone, ex reticentia Mosis nihil necessariò concluditur, & erras si

putas

putas negativè secundum regulam quorundam, extra ambitum theologiæ, quodvis in physicis concludi. Quod vel ex hoc uno conjice : quoniam cum Moses nec meminerit creationis metallorum, pariter neq; metalla creata essent. Utrumque sophisma seu crimen falsi est à πρὸς τι ad ἁπλῶς ex ἀπαιδευσία seu inscitia methodi productum, ut Galenus declarat *l. br. 2. de decret. Hipp. & Plat. cap. 3.* quod antichymista ignoravit scientificas sumptiones à communibus seu probabilibus, & à captiosis distinguere, cum rectius debuisset, ut idem mox monet in *eodem libro capit. 5* demonstrativæ artis sumptionibus servatis discussionem rei ac judicium à sensibus petere, sed bonus iste quasi non ex scientia, sed forte fortuna verum inveniatur, à quæstione ipsa longè recedens testimonia sacrarum literarum imperitè & impertinenter adduxit. Tales sophisticas & extrinsecus ductas probationes in demonstrationibus semper fugere oportet, ut iterum monet Galenus *libr. 2. de fac. med. cap. 6.* Nos autem qui didicimus nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, (neque enim ex universalibus sine inductione, neque per inductionem sine sensu aliquid scimus, Aristotel. 1. *poster. ana'yt. capit. 15.*) suprà probavimus sufficienti inductione, & necessaria insuper demonstratione, id est, ut Galenus vocat, experientia & ratione : metalla à natura gigni. Contra ex antichymista, qui negat gigni, quærimus, quo præ-
cedente

cedente sensu aut singularium sensu perceptorum inductione id neget? numquid orbem terræ circumierit, & inspectis cunctis metallorum fodinis longa experientia observaverit nihil metallorum gigni? Minimè. Nam neque sumptus habet, quibus hoc præstet, neque etiam sumptus fecit ad unam fodinam saltem visendam, sicut ex tota theoria sua lapidea certò nobis constat. Cum ergò principium hoc sive universalē, nulla metalla nasci ex propria phantasia apud semetipsum sine sensu præcursore ἀπαιδεύτως confinxerit, perspicua est falsitas eius, & ruit omne quicquid inde concludere, conclusionique mendaciorum, conviciorum, calumniarum, & criminum in artem & artifices superstruere conatus est. Consequens etiam ubi scribit antichymista: firmissimè concludimus, omne aurum, quod non fuit creatum in principio esse adulterinum & vel per præstigias cacodæmonum ità apparens, vel à Satana suppositum, risu & strepitu puerorum explodendum est.

Primum quia inter cacodæmones & Satanam distinguens diversam eis potestatem in eodem subjecto tribuit, quasi illis datum sit præstringere oculos in auro sophistico, huic verò supponere aurum verum. Cum tamen ex sacris literis satis notum sit cacodæmonum & Satanæ nullam esse discrepantiam. Deinde quia antecedens, quod est: omne aurum creatum fuisse in principio, nullumque porrò generari, est principium sophisticum,

(ut

(ut ſuprà jam revicimus) à cacodæmone vel Satana, qui eſt mendacii pater, antichymiſtæ phantaſiæ per præſtigias impreſſum, & in theoria ſua pro vero ſuppoſitum. Autorem hunc tenebrarum, petitorem principii, vel ſola obſcuritas prodit. Principium enim hoc non minus obſcurum eſt atque concluſio ipſa. Oportet autem, ſi naturæ lucem & ducem ſequimur, teſte Galeno *libr. 1. de ſimp. med. fac. cap. 35.* omnis demonſtrationis principia ſenſui atque intellectui evidentia eſſe: & *lib. 1. meth med. capit. 4.* primas propoſitiones ita evidentes eſſe, ut ex ſeipſis fidem faciant. Item ex communibus principiis, de quibus inter omnes convenit diſputationem auſpicari, & tranſire tum ad reliqua, ut ibidem tradit Galenus. Quis autem hominum oculis ſuis vidit, vel auribus percepit unquam, omne aurum, quod in toto mundo eſt, creatum fuiſſe ſtatim in primo die creationis, niſi fortè antichymiſta tunc cacodæmon, non homo, quoniã eo die homo nondũ erat, ſpectator fuerit, qui nũc tã audacter propterea nobiſcũ litigat? Cui homini ita evidens eſt hoc pronunciatum eius, ut indubitatum uno ſimul occurſu ſine ulla demonſtrationis ope ſub eius intelligentiam vel ſenſum cadat, quemadmodum auctore Galeno *libr. 1. meth. med. cap. 4.* primæ & immediatæ propoſitiones cadere debent? Quis philoſophorum vel Chymicorum id hactenus pro communi & conceſſo principio agnovit aut recepit? ſed potius antichymiſta, ut verbis Galeni utar *libr. 1. de fac. med.*

med. capit. 26. ex quærendis quærenda, & ex obſcuris obſcura invicem connectens paralogiſmos facit, & tum vel maximè ſuas ineptias, id eſt, ἀπαιδευσίαν prodit. Firmiſſima igitur antichymiſtæ concluſio, mendacium eſt & calumnia tàm in naturam, quàm in artem, nempe omne non ſolùm ab arte, ſed etiam à natura productum aurum eſſe ſophiſticum. Sed antecedentis falſitas multò magis ex conſequentium etiam abſurditate palam fit. Si enim omne aurum, quod poſt creationis primum diem, à natura generatur & creſcit, eſt ſophiſticum, meræque cacodæmonum præſtigiæ, aurum etiam Arabicum, (Evilath enim ſacris interpretibus Arabia eſt) quod Moſes 2. *Geneſ.* naſci tradit, & aurum terræ illius optimum prædicat, quod privilegium nativitatis adhuc extra controverſiam eſt, non erit verum aurum contra expreſſam ſententiam divinæ ſcripturæ, & omnium artificum atque hominum conſenſum. Item ſi blaſphemum eſt in creatorem dicere ullum individuum eſſe melius atque perfectius altero, & de metallis idem dicere vetat pietas, ut aſſeruit *theſ. 37.* blaſphemus erit Moſes, qui ratione creationis (nam metalla antichymiſtæ tantum ſunt creata, nulla generata) aurum Arabiæ pronunciat optimum. At ô blaſpheme antichymiſta, qui tuæ opinionis auctorem (fictitium ſcilicet) blaſphemiæ damnas ingratus, ad ſtivam & ad metalla damnandus es, donec reſipueris, & ſaltem ad humanam rationem, quam inſa-
nia

nnia excessisti, redieris. Adhæc autem aurum Westphaliæ in cumulis Corbachianis ex minerali sua terra renascens: item aurum Ungaricum in filamenti specie, ut ex Scaligero supra audivimus, sub auras prodiens, aurum ex nube rorulenta in patellæ forma eo modo, quo ferrum in nubibus generatum depluens, aureus dens pueri illius Silesij testimonio Jacobi Horstij medici & professoris pro vero auro celebratus: hæc inquam omnia ex phantastica superstitione tua erunt non verum aurum, quoniam in primo die creationis non fuêre à Deo creata, sed post mul.a secula demum à natura producta. Nondum finis est. Plaustra aliorum metallorum ex absurdis onusta sequuntur. Argentum in plumbariis Sclavoniæ, item in cumulis bisemuti naturali maturatione certo annorum spacio procreatum, similiter ferrum I'væ sive Æthaliæ, ferrum Lygiorum ad oppidum Sagam, ferrum Palatinatus Admontani, ferrum Misniæ, ferrum Sueciæ, ferrum in nubibus generatum, ferrum Hyberniæ ex lignis, sicut & Lusatiæ Silesiæque, æs in cumulis Mansfeldicis, plumbum Fesularum montis Hetruriæ in lapidibus recrescens, plumbum Palatinatus Admontani zu der Freyhing reviviscens in cumulis, plumbum Galeni extra mineras etiam in statuis semper augescens, hæc, inquam, metalla, quorum generationem natura ad nostra usque tempora indefessè continuat, erunt non vera

metalla,

metalla, sed præstigiæ cacodæmonum vel à satana supposita. At satius est nos credere hanc thesin antichymistæ, ex qua tot tantaq; absurda sequuntur, esse à cacodæmone suppositam. Cæteri hostes artis tantum arte fieri aurum hactenus negarunt, noster autem mendacium duplicat, & plus ultra negando addit, ne naturâ quidem fieri aurum verum. Sed profectò perspicimus in hoc temerario viro, id quod Galenus *lib. de marcore cap. 2.* scribit: in more positum esse sophistarum, ut manifestissimam etiam experientiam oppugnent, nec ad ea quæ videntur (*ut Arist. 2. de cœlo. cap. 13. loquitur*) rationes causasq; quęrāt. sed ad quasdā suas rationes, opinionesq; quę videntur, trahunt. Et verū deprehēdimus ꝙ rursus Galen. *lib. 8. secundū locos cap. 1.* ait: quod falsæ opiniones animas hominum præoccupantes non solum surdos, sed & cæcos faciunt. De iis Lipsius in *Const. lib. 1. cap. 5.* præclarè ut semper scribit: vidimus stultos & risimus, quos custos aut magister alligabat straminis vel exigui fili nodo, atq; illi stabant quasi ferro, aut vera compede de vincti. Similis est antichymistæ amentia, qui futilis opinionis sive fallacis principii vinculo ita ad strictus stat mente & sensibus, ut sui oblitus, quid ipse de judicio auri per sensum dixerit thesi nona, nempè antimonium, salem armoniacum, hydrargyrum &c. à Deo data videri, ut eorum ope aurum, & argentum ab omnibus heterogeneis separari possint, ad detegendum omnes imposturas auri & argenti factitii, nunc ex tenebris rationis suæ quasi aliud dignoscendi judicium proponat, nempe respiciendum ad solam creationem,

quicquid auri creatum fuerit in primo die creationis, id solum esse verum aurum, quicquid verò generatum arte vel natura, falsum esse & sophisticum aut à cacodæmone suppositum. Sed ô absurde, quid aliud facis, quàm quod de sophistis Arist. *8.phys.t.22.* prodidit in re per se sensibus notissima, quærere rationem dimittendo sensum per ἀρρωστίαν τῆς διανοίας, cum potius rerum sensibiliũ proprius judex sensus sit, ut Zabarella ibidem exponit. Similiter Petrus Ferrariensis *cap. 15. margaritæ suæ* scribit: *Sicut in scientijs practicis, quando volumus probare veritatem alicuius sensitivi, eam probamus per demonstrationem sensitivam solùm, ostendendo veritatem medij ad sensum, & non ad intellectum: ita quoque oportet nos facere in hac arte.* Unde Philosophus *1. poster. anal. Sicut in demonstrationibus universalibus medium monstratur ad intellectum, ita in particularibus medium monstratur ad sensum. Sicut ergò de objecto intellectus non possumus judicare per sensum, ita nec de objecto sensus possumus judicare per intellectum.* Et concludit: *Ergò qui hanc artem vel aurum artis sola ratione vel intellectu non esse verum arguunt, nihil probant.* Hæc Petrus Lombardus. Sinamus igitur hunc antichymistam aliunde & extra genus procul principia ducere, *libr.2. de fac. simp. med. capit.2.* sensumque pro nihilo habere, manifesta omnibus hominibus apertaque impudenter negare, *libr.5. de decret. Hipp & Plat. capit.1.* sibiipsi adversari in scriptis, ex obscuris de appa-

rentibus ratiocinari *lib.5.de fac.med.c.34.* ſeipſum decipere, omnia confundere, *lib.1.de fac.med.c.32.* & in hoc tanquam victoriam ſtatuere, ut ſenſus defraudet. At nos ex præcepto Galeni *lib.1.de facult.med.cap.34.* tanto decet magis ad ſenſum accedere, tantoque diligentius perpetuo illi attendere, quanto plura in eo peccant ſophiſtæ omnes falſaque de eo aſſerunt. Huic igitur naturæ pariter & artis calumniatori, ut Galenus tales vocat *lib.12.de uſu partium cap.6.* opponimus infallibilia criteria auri, quæ fiunt per ſenſum, quibus metallorum docimaſtæ & Chymiſtæ utuntur, qui procul dubio tanta fide & cura de judiciis & examinibus auri non traderent, ſi imponendi hominibus eis animus eſſet. Geber poſtquam *in libro ſummæ perfectionis* tractavit de principiis huius magiſterii, docuit in ultima parte libri probationem & examina perfectionis, ut diſcipulus ſciat non ſolum aurum verum facere, ſed etiam aurum & argentum ſophiſticum à vero diſcernere. Perinde ut arithmeticus non ſolum docet numerare, numeros numeris addere, ſubducere, multiplicare, & dividere, ſed etiam quamlibet numerationis ſpeciem probare, ut quisque certus ſit ex arte ne, an ſecus operatus fuerit. Et Ariſtoteles non ſolum tradidit principia ſyllogiſmorum, ſed etiam in fine docuit, vitioſos & ſophiſticos à veris dignoſcere, & ſolvere. Non ignorant Chymiſtæ primi & ſecundi ordinis medicinis, quæ ſunt numero decem, aut etſi plures apud alios inveniantur, redu-

ctibi-

ctibiles tamen ad illas, secundum Gebrum, sophisticum aurum & argentum produci, & esse medicinas eorum, qui ut Albertus loquitur, per alba albificant, & per citrina citrinant, & procul dubio deceptores sunt. Sic enim testatur autor textus philosophiæ *cap. 1.* inquiens: *Quia priorum duorum ordinum medicinæ sunt sophisticæ, & non tollunt de commisto, relinquitur una sola, quæ est de tertio ordine, & dicitur unica & vera.* Cui expositioni ipsius Gebri verba consentanea sunt, scribentis *libr. 4. summæ perfect. cap. 2.* per illam nos excusari à laboribus inventionis decem medicinarum. Et *libr. 3. cap.* 10. idem testatur, quod rationibus etiam alibi ostendetur. Unde etiam secundum tria quasi diversa principia, ut sunt natura, lapis philosophorum, & medicinæ sophisticæ ex corrosivis. Avicenna *in dictione 5. cap. 7. & 8. Aurum & argentum triplex agnoscit, naturale, magistrale & sophisticum*, quod Johannes *de lapide diviso scilicet in duos album & rubeum lib. 1. cap. 3. & 31.* dilucidius ex effectibus medicinæ distinxit, dicens: *Tribus modis aurum fieri potest. Primò est aurum naturale seu mineræ: Secundò aurum alchymicum: tertiò aurum lapidis philosophorum.* Ex effectu autem sic discernuntur: Aurum alchymicum in potu datum non lætificat cor hominis, sed nocet, quia ex corrosivis compositum est, & vulnus ex eo factum tumescit. Aurum verò naturale datum in potu, nihil agit, quia taliter ut comestum est, excernitur. Aurum

autem lapidis philosophorum est solum, quod quæritur in nutrimentum, & etiam liberat à lepra & ab omni infirmitate datum in potu vel cibo, & vocatur aurum Dei. Sed præter hæc & vulgarem dignotionem ex pondere, extensione per malleum, attritu coticulæ & colore, Chymistæ multò plura & accuratiora in promptu habent judicia, quorum à Gebro recensentur novem, ut cineritium, cementum, ignitio, fusio, super vapores acutos efflorescentia, extinctio ignitorum, admixtio adurentium, post calcinationem reductio, argenti vivi facilis vel difficilis susceptio, & alia duo à recentioribus inventa adiectaque, transfusio per antimonium, & quartatio sive probatio per aquas fortes. His positis contra antichymistam, sic argumentor cum Magistro Bono. Quodcunque aurum habet & servat in omni examine per ignem & extra ignem omnes specificas proprietates, passiones & operationes auri, illud est verum aurum & non sophisticum, aut per præstigias cacodæmonum tale apparens tantùm. Aurum autem quod à natura generatur in cumulis vel in venis, aut ab arte per lapidem fit, & huiusmodi. Ergò aurum à natura & arte generatum est aurum verum. Propositionis veritas hinc constat, quòd differentiæ specificæ rerum, sive formæ substantiales sunt nobis ignotæ, ut patet ex 4. *metaphys. in fine & ex 1. de anima*. Nec cognoscimus eas, nisi per proprietates & passiones: & proprietates & passiones per operationes & accidentia: &
ideò

ideò quales ſunt operationes & accidentia in rebus, tales, judicamus proprietates & paſſiones: ergò & per conſequens formas: quia omnis cognitio etiam incipit à ſenſu, ut patet ex 1. *phyſ.* & *1. poſt. an.* & 1. *metaphyſica.* Unde philoſophus in *1. de anima*, volens nos inducere ex hoc in cognitionem animæ & aliarum formarum dicit ſic: Accidentia magnā partē cōferūt ad cognoſcendū τὸ τί ἦν εἶναι, id eſt, definitionem & formam ſubſtantialem. Talis autem cognitio accidentium eſt per ſenſum: quia ſola accidentia ſunt objecta ſenſuum. Unde philoſophus *4. metaphyſ.* arguit ex operibus rerum & accidentibus ſuper ipſas formas, his verbis: *Quod enim facit operationes oculi, eſt oculus: quod verò non, non eſt oculus, ſed imago oculi: & ſerra lignea non eſt ſerra, ſed imago ſerræ.* Nec in rerum natura datur melior & certior modus perveniendi ad ſcientiam, niſi talis cognitio rei per accidentia propria: quia tum per cauſam uniuſcuiusque rei propriam res cognoſcitur, cum de accidentibus eius propriis minimè dubitatur, neque hoc in metallis eſt difficile, cum non ſint diverſæ ſubſtantiæ, ſed homogenea per totum. Aſſumptio patet ſic: quia quicunque vult verè cognoſcere aurum & argentum, ſecundum eorū formam ſpecificam, cognoſcet per eorum proprietates & paſſiones & accidentia & operationes, ſive ſint activæ ſive paſſivæ. Nunc verò proprium auri eſt, eſſe metallum coloris citrini fulgentis, mutum in ſono, ponde-

rosum, extensile sub malleo (in eam tenuitatem, ut eius unica uncia in bracteas diducta etiam decem terræ jugera tegere queat, & tertia pars grani eius trahi possit in fila 134. pedum, ut Cardanus *de varietate rerum* scribit) incorruptibile in terra, aqua & aëre, atque in igne examen per cineritium cementum, antimonium, & adustionem cæterorum adurentium calcinationes, & reductiones, ignitionem, & fusionem sibi convenientem, extinctionem item sine mutatione & diminutione sui, & ponderis & coloris sustinens, in expositione super vapores acutorum colore debito florescens, argentum vivum facile suscipiens, imò in eo solum fundum petens, cor confortans, &c. neque plus de conditionibus auri in toto mundo per philosophos, & fossores metallorum cognitum est. Ergò, experientia teste in quocunque metallo sive à natura sive ab arte generato reperiemus omnes proprietates prædictas, & accidentia & operationes, necessariò arguimus ipsum esse aurum verum: & si illarum, quas enumeravimus conditionum aliqua deficiat, non erit aurum. Quia igitur aurum naturale, & magistrale habet omnia prædicta, ideò judicamus utrumque esse aurum verum & non sophisticum. Experimentum autem ex decreto philosophorum testatur hoc ut dictum est secundum sensum. Quod si non est idē aurum cum auro vero, quod solum creatum esse antichymista vult, oportebit eum necessariò ponere easdem proprietates omnes in specie manare à con-

à contrariis formis, quod est planè impossibile. Necesse est igitur, quod sint idem. Aut doceat antichymista, qui sibi soli à principibus credi ita insolenter postulat, doceat, inquam, nos & docimastas, quibus indiciis aliis aurum verum à falso dignoscatur. Sophisticum aurum, ut rursus Petrus Ferrariensis *capit. 23.* narrat, semper inficitur ab aëre & igni ignitionis, & pulveribus corrosivis, quibus fit cementum, nec habet molliciem, tenacitatem & ductibilitatem ad malleum nec flexionem, sed facilem fracturam, nec ignitionem auri, nec ponderositatem (imò centies rarius est legitimo) nec sonum tenuem auri, sed æris vel argenti, nec bibit argentum vivum facilè, ut aurum, nec cum eo possunt deaurari metalla, nec in mercurio fundum petit, sed supernatat. Eiusmodi autem nec naturale aurum nec magistrale est. Ergò neutrum est sophisticum. Jurare ausim, ita me Deus amet, neque sophisticum aurum neque argentum ab antichymista visum unquam esse, eumque nec ulli tali examini interfuisse, unde discere potuisset, quibus conditionibus falsum à legitimo discreparet: alioqui aliter locutus fuisset, nec ita omnia more sophistarum confunderet, naturale & magistrale iniquo judicio cum sophistico damnans, & infantem, quod Germanis in proverbio est, cum lavacro effundens. Impostores, quod notum est ijs, qui cum illis versati sunt, in alchymia sophisticantibus suis à cineritio extremè metuunt, nec illud minus fugiunt atque cacodæmones lucem. In hoc

enim vel uno examine omnis impoſtura detegitur, omniſq; magica vel dæmoniaca oculorum præſtrictio evaneſcit, ut Paracelſus docet, & ejuſdem ſeptupli certitudinem, tam ſcriptura ſancta, quam Albertus ex perimento confirmat. Philoſophi autem nec cineritium, nec aliud ullum examinis genus detrectant auro ſuo, quod faciunt, ſed notum eſt ex additionibus Joh. Andreæ *ad ſpec. in tit.* de crimine falſi, quod Arnoldus Villanovanus virgulas auri, quas faciebat in curia Romana conſentiebat ſubmitti omni probationi. Similiter aurum juvenis illius inſularis (cujus ita publicè tingendi audaciā ne, an tam maturè adeptæ difficilimæ artis fortunam, ſi cum aliorum & præſertim Comitis Treviſani tot annorum laborioſa inquiſitione & ſtudio confero, magis mirer, non invenio) quod projectione pulveris cujuſdam ſui ponderoſiſſimi, pinguiſſimi citrini anno. 1 6 0 3. media æſtate coram Jacobo Zvvingero ex Zvvingerorum familia, & Johan. VVolffgango Dienhemio Medico in academia Friburgenſi profeſſore, tincturæ una parte millia quingenta octuaginta, quatuor pondera plumbi in aurum tranſmutante, Baſileæ ex plumbo, ſicut poſtea eodem anno diebus 6 & 11. Auguſti ex aliis metallis etiam Coloniæ coram multis teſtibus fecit, probatum fuit, quod poſt examina aurifabrorum multis paraſangis aurum Ungaricum vel Arabicum ſuperabat, ut referunt Hoelandus & Dienhemius, apud quem

pari-

pariter, & Jacobum Zvvingerum frustra ejus auri arte facti adhuc invenire licet. Plures quidem artis effectus nostro tempore cognitos, ut tincturam Hinderhoferi, quæ 7000. partes, Gustenhoferi, quæ 4060 tingebat, (quæ tamen ambæ erant tela ex aliena pharetra.) Schvvertzeri, de quo auro ab ipso Augusto Saxoniæ duce per projectionem ejus tincturæ facto ipse vidi apud Comitissam quandam armillam duarum unciarum pondere. Item Sendivogii, quæ erat in forma liquoris, quo majorem clavum ferreum mutavit in aurum, quod in examine ignis amicus quidam meus, qui clavum in manu habuit, frustumq; inde decidit, optimum deprehendit, pluresq; oculatos testes novissem recensere, sed sufficiunt duo modò, & alibi etiam in publicis typis nominati, adhuc viventes, coram quibus si antichymista cum his nugis, mendaciis, calumniis, & criminationibus artis & artificum comparuerit in legitimo judicio, extremam suam stultitiam, inscitiam & temeritatem in nugando, conviciando, calumniando & damnando cum pudore, & infamia sui deplorabit, & magis quam piscis obmutescet. Quare desinat posthac imperitia sua artificibus importunè obstrepere, & sophisticos fumos suos in aulis vendere.

XIX. *Argumentum à personis artem hanc tractantibus.*

THes. 33. Quotusquisq; est ex aurifactoribus, qui non vocationem suam deserat, & functionibus muneris sui prætermissis tempus in auro faciendo frustra consumat? Qui labor *thes.* 32. maledictionem in ipsa experientia manifestissimam habet.

Responsio.

Sophistę est nihil distinguere, quod hîc antichymista facit, qui dum vitia personarum cum arte ipsa confundit, duplex committit sophisma accidentis. Si imperitorum errores aut frustranei labores vel impostorum fraudes arti aut artificibus per se sunt tribuendæ, etiam antichymista imperitus & impostor erit. Quotusquisq; enim ex medicis illis circumforaneis non deserit opificium suum ocium sectans? Quotusquisque illorum bene medetur, aut non impostor est? Num hæc culpa ipsius medicinæ est, aut bonorum medicorum? Minime verò gentium. Ita quoque si sutores, figuli, pictores, lanifici, aurifices, lithotomi, quos omnes vidi desertis opificiis, sine cognitione sui, huic arti sese ingerere etiam apud magnates, quid hoc ad scientiam ipsam, quæ ex se certa est? quid ad philosophos etiam, qui nequaquam ex sordidis &

& quæstuariis artibus ortum ducunt, sed ex liberalibus? Extra quas, quicunq; ad hoc magisterium aliam viam quæsiverit, assimilabitur viro per scalas absq; gradibus intenti ascendere, quod cum nequiverit, super faciem pronus in terram decidit, inquit Morienus. Sed heus tu antichymista qua fronte, qua mente philosophos istos accusas desertæ vocationis, aut frustrati finis, qui ne ullum in hac scientia verum artificem per omnem vitam tuam vidisti? Xenophanes philosophus Colophonius apud Laertium cum aliquando accepisset Empedoclem Agrigentinum dicere solitum, perdifficile esse, hominem sapientem invenire, & meritò respondit, quod sapientem esse oporteat, qui sapientem explorare cupit. Ex quo consequitur philosophum esse oportere, qui philosophum vult invenire aut agnoscere. Quod si comes Trevisanus scientiæ hujus studiosus per tot annos peregrinatus nullis parcendo sumptibus nec laboribus, non valuit in familiarem consuetudinem horum hominum venire, multò minus à sophistâ & antichymistâ quispiam eorum invenietur; cum sapiens etiam coràm à stulto non agnoscatur. Accepi à sene quodam adhuc vivo, quo olim adolescens in hac arte magistro usus fui, quomodo vir quidam doctus casu sibi in itinere obviam factus, exinde in diversorio post multos de hac philosophia & philosophis collatos sermones, monstrata etiam mediæ naturæ, præcipuaq; artis materia, tandem valedicens in hæc verba eruperit: Hodie vides philosophum,

Et vitâ

Et vitâ fortasse tuâ non amplius ullum.

Unde facilè existimare licet, quanta raritas in terris sit horum hominum. Galenus *lib. 2. meth. med. cap. 5.* fatetur se per omnem vitam suam, quam tamen, ut ex Langii epistolis constat, ultra centum & quadraginta annôs produxit, ne quinque quidem viros invenisse, qui esse potius, quam videri docti cuperent. Nisi enim (inquit) quis sapientiam ipsam propter seipsam expetat, ne tempus quidem ullum inveniet, quo se in ejus inquisitione exerceat, imò divitiis, famæ & potentiæ civili inhians, in horum ambitu vitam totam consumet. Quod si Galeno sesquiseculi tempore non obtigit plures viros verè doctos videre, quid nobis homuncionibus tertia fere parte brevioris vitæ experientiæ exspectandum sit de philosophis istis difficilioris sapientiæ indagatoribus, eorumq; numero & paucitate in promptu est divinari, quorum respectu Galenici viri initiati duntaxat nominandi essent. Quod cum ita sit, nihil mirandum est (inquit Petrus Ferrariensis *cap. 4.*) sapienti, qui terminos in libris philosophorum hujus artis novit, si non appareat aliquis hanc artem actu habens, sed potius mirandum, quomodo quis possit pervenire ad ipsam, cum ejus inquisitio sit difficilior, profundior, & longioris temporis. Sunt præterea plures aliæ causæ, cur viri tales cum thesauro suo latere, quàm illum publicè deprædandum gestare malint, αὐθάρκειαν secundum Deum habentes in se ipsis, nec divitiis, famæ aut potentiæ

civili inhiantes, ut antichymista *thesi. 36.* inciviliter & portentosè adversus quinq; viros Galeni, & eos omnes philosophos mentitus est, ex pravitate ingenii sui alios judicans. Propterea mihi quoq; suspecta est societas illa philosophorum crucis roseæ, pellicentium alteri partium adversarum subsidium ex hac arte, contra institutum philosophię, quæ civilibus controversiis bellicisq; rebus implicari prohibet, nisi forte contra alienos à fide Christiana tyrannos, quod & ipsum tamen exemplo Lullii malè cessisse palàm est. Cum enim regi Anglorum sex milliones auri ad bellum adversus Turcam & infideles suscipiendum suppeditasset, rex tanta vi auri non solum contra fidem promissi adversus Galliarum regem bello moto abusus est, sed & artificem ejus, largitionisq; autorem propterea quòd esset ab eo posteà violatæ fidei redargutus, persecutus est. Lullius qui procul dubio, ut ex circumstantiis conjicitur, votum fecerat, se adepta arte contra infideles pro Christi gloria & ecclesia usurum, quoniam hac viâ non successerat, aliâ certiori & sanctiori tentat, magnoq; zelo ipse in Africam transfretans Bogiæ Tunisique evangelium prædicavit, ubi tandem martyrio coronatus anno octuagesimo ætatis suæ fatis concessit, sicut in ejus vita legitur. Sed hoc in *cap. 7. lib. 2. chymic. quæstion*, enucleatius disputabitur.

XX. *Argu-*

XX. *Argumentum à modo discendi & docendi artem.*

CHristiani hominis non est. 1. Deum tentare; eique præscribere, quod tu facis aurum à Deo petendo ac sperando citra omnem promissionem Dei. 2. Revelationes petere mysteriorum à Deo. Nam Deus ipse semper certis hominibus (quos ipse ad id vocavit) mysteria sua revelavit: suamque libertatem ad certos minimè adstringi vult. 3. Alios seducere, & in exitium præcipitare audacissimis mendaciis atque ænigmatis, quod tu facis more λοξίκ Apollinis seu potius Satanæ. 4. In verbo Dei, quod nobis æternæ salutis causa datum est mysterium aurificii quęrere, eidemq; affingere.

Responsio:

Nunc intentionem chymistarum & utrumque tàm discendæ, quàm docendæ artis modum reprobare & suspectum reddere conatur antichymista, sed frustrà. Ex suo enim ingenio solum ad aurum intento fingit scopum alchymiæ præcipuum esse aurum facere, vnde chymistas more vulgi, vel aulicorum, qui non plura sciunt non medicinæ sed aurifactores & chrysopæos nominat. Cùm tamen multò antiquior & nobilior ejus effectus sit medicina, propter quam primævi patres hanc artem, antequam ulla mercium permutatio esset, & nummus earum sponsor & vicarius fuisset inventus,

præ-

tractarunt ad vitæ longæve conservationem, sicut *lib. 3. quæst. chymic. cap. 2.* ubi de autoribus chymiæ & Salomonis scientia quæstio erit, probabitur. Hodieque multos novi, qui non auri sed perfectæ sanitatis consequendæ cupiditate arti operam navant. Et planè sentio, nec philosophiæ nec religioni nostræ congruum esse alchymiam animo ad solum aurum intento seclusa medicina tractare, qua in re mecum sentit Johan. de lapide diviso *lib. 1. cap. 44.* & ibidem incommoda inde evenientia recenset. Ita quidem cum perfectis perfectè sentiendum: si quid verò etiam parvulis communem vitam in seculo agentibus indulgendum, ita responderi potest. Esto, secludatur medicina contra philosophorum mentem, & solum aurum in specie petatur, num propterea non liceret artifici aurum absq; ullo dolo, alteriusvé detrimento per legitimam artem ad necessitatem & non ad fomentum atque augmentum luxus sui & aliorum quærenti cum sudore vultus & labore manuum Deum omnis boni largitorem in vota vocare? Numquid peccant metallici fossores & fodinarum domini, quando benedictionem divinam implorantes ad laborem in fodendo petunt & sperant in specie nihil aliud à Deo, quam aurum, vel argentũ vel aliud metallorum? Si hoc est tentare Deum, eique in specie præscribere, ut tu antichymista ais, quid largiri is debeat, ipsa oratio dominica, quæ petitiones in specie septem, & lithania, quæ multo plures habet, horrendum dictu & blasphemum, meræ tẽtationes atq; præscriptiones forent, imò tu ipse-

ipſemet tentator & præſcriptor talis eſſes, qui in curationibus morborum unà cum ægris in ſpecie petis à Deo ſanitatem, & inde in ſpecie aurum, niſi fortaſſis numos æreos pro pietate tua th. ſi 38. declarata accipere malis. Abſq; hoc non inſervires tuo principi, nec academiæ, ne ægrotis. At inquis citra promiſſionem divinam chymiſtas id petere. Quis tibi diceret? Unde probas. Nam ex primo capite Geneſeos, quia metalla non generentur. At hoc deliramentum tuum eſt, & alibi ſatis refutatum Nihilo ſecius natura metalla generat, & quāvis non generaret, tamen finis artis immotus conſtaret, qui non eſt generare metalla, ſed dudum generata tantum tranſmutare. Deinde ſacra ſcriptura (ex qua theologaſter iſte contra artem ſemper diſputat) in myſteriis ejuſmodi myſticum hunc diſcendi & docendi modum non improbat, ſed mandat utrumque. Primum *Jac.* 1. *v.* 4. *Philip.* 3. *v.* 15. *Matth.* 7. *v.* 7. *alterum Matth.* 7. *v.* 6. 1. *Cor.* 2. *v.* 6. Quod verò addit antichymiſta. Deum ſemper certis hominibus ad id vocatis ſua myſteria revelare hoc ipſum eſt, quod volumus. Nam ſicut.

Virtutem poſuêre Dii ſudore parandam:

Ita non omnibus promiſcuè, ſed certis, & iis ſolum, qui in hac arte ſudant, ſtudent, orant, & laborāt, & quidem non niſi animis purgatis hoc myſterium revelat, atque largitur, Qui curvat dorſum ſuum, inquit Bacſen in turba, in liberis noſtris legendis, eiſque vacat, & non eſt vanis implicitus

cogita-

cogitationibus, Deumque præcatur, in regno regnabit indeficienter, quousq; morietur. Porrò quod culpat doctrinam philosophorum ut per ænigmata, aliaq; obscura dicta seducentē lectores, & præcipitantem in exitium, & leges docendi artem philosophis præscribere audet, plane videtur sus Minervam docere, parū perpendens geometras geometricis, musicos musicis, medicos medicis & sic quemlibet artifi. cem docere disciplinam suā propriis artis vocabulis, quasi solis chymistis licitum non esset suo more & modo artem tradere posteris. Hujus autem mysticæ traditionis per tropos, allegorias, & ænigmata, justissimas habent rationes de quibus *lib.2.chymic.quæst cap.9.* copiosè differetur. Præcipua verò est, quod mundus, vt & supra ad argumentum 17. diximus, mixtus est adhuc ex bonis & malis, ne malorum proterviam in bonorum exitium armarent, & sic, dum indiscriminatim omnibus apertè docēdo prodesse vellent omnibus nocerent. Vnde Aristoteles in epistola ad Alexandrum scribit: causa quidem, quare tibi revelem secretū meū figurativè tecum loquens ænigmatibus atque signis, est quia timeo nimium, ne liber præsentium in manus deveniat malorum & in potestatem arrogantium, & sic perveniret ad illos ultimum bonum & arcanum divinum, quo summus Deus eos judicavit indignos. Ego sanè si aliter facerem, transgressor divinæ gratiæ

& fractor cælestis sigilli essem, nec occultor revelationis. Ea propter tibi sub attestatione divini judicii delego sacramentum eo modo, quo mihi revelatum est. Præterea quomodo philosophi possunt seducere eos, quos tam fideliter cum Gebro monent & absterrent, ne libros suos legant, scientiamvè attrectent? Ita enim *lib.4. summæ perfect. cap.* 12. inquit: Filii doctrinæ perquirite, & hoc excellentissimum Dei donũ vobis solis servatum invenietis. Filii insipientes nequitiæ & malevolæ pravitatis immensè ab hac scientia fugite, quoniam est vobis inimica & adversa & vos in miseriam paupertatis constituet, quoniam vobis penit⁹ hoc Dei donum divinæ providentiæ judicio est occultum & denegatum omninò. Quod postremò ponit chymistas in verbo Dei mysterium hoc aurificii quærere, eidemque attingere, responsionis non eget, quoniam est apertum & crassum mendacium. Nam ne litera quidem ex vllo probato hujus artis scriptore proferri potest, qua docuerint aurificii mysterium esse in sacris literis quærendum.

XXI. & XXII. *Argumentum, an ars Alchymia sit licita?*


SCribit antichymista *thesi*. 30. alchymiam ut artem illicitam à concilio Anticyrano damnatam deinde *thesi*. 34. nullo privilegio imperatorũ, ut cętera honesta vitæ genera donatam.

Responsio.

Adhæc non poteſt melius reſponderi, quam ex ore ipſorum juriſconſultorum. Scribit autem doctiſſimus juriſconſultus Thomas Arfoncinus in reſpõſo de jure alchymiæ his verbis: An ars aliqua ſit licita, conſiderandum eſt nũ jure divino aut humano ſit prohibita. Nam licita & illicita ita diſcernantur *l. 1. ff. de concubin. l. cum ſenatus ff. de rebus dub. l. 1. & per tot. tit. ff. de colle. & corporibus.* Quantum ad divinum, certè nullum textum reperio, ubi alchymia & auri confectio prohibeatur: cum tamen innumera vitia & crimina legislator divinus Moſes in levitico & deuteronomio perſequatur. Neq; puto illum magis prohibuiſſe diſtillationes & auri argentiq; confectionem, quam clinodiorum, annulorum, & cæterorum ejuſmodi ornamentorum conflaturam, quibus Salomon & alii reges ornabantur. Quantum autẽ ad jus civile, certè nulla litera in *Digeſtis & Cod. Iuſtin.* vel *Novell.* oſtendi poteſt, quę ad prohibi-

tionem alchymiæ pertineat, quin potius fusoria ars comprobatur & laudatur, & præmiis decoratur *lib.1.de excus.artif* Et de metallariis, quod legitimam artem exerceant, dubitari nõ potest ex *tit.Cod.de metallariis lib.* XI. Ad propositam igitur quæstionem breviter respondetur; Si communis doctorum opinio facit jus ut inter omnes peritos constat, sequitur, quod alchymia sit licita. Verum autem est antecedens; quia Oldradus, Baldus, Iohan. Andreas, Panormitanus, Andreas Isserninus, Albericus de Rosate, Albertus Brunus, Guido Papa & alii complures tam civilistæ, quàm canonistæ illã comprobarunt. Ergo & antecedens verum, nempè alchymiam esse licitam. Tria igitur multennis stropharum meditator antichymista in hac criminatione artis crimina falsi cõmittit. Primò quia in nulla historia, nec in cõciliorum tomis legitur fuisse unquam concilium aliquod Anticyranum; deinde, quia nec ullo in concilio ejusmodi quæstio agitata vel hæc ars prohibita aut damnata refertur: tertio quia alchymia cum metallaria & fusoria (quoniam cognatarum artium par est ratio) iisdem privilegiis donata censetur. Damnamus igitur multò justius antichymistam cum sua multenni ista theorica ad Anticyras; vbi concilia habentur insanorum, donec sanam mentem & sensus elleboro bene expurgatos receperit.

FINIS.



EPIGRAMMA IN ANTIchymistam metamorphosin ab alchymia passum.

Dum Papius chymicos malè sanâ mente refellit:
Fit Papius chymico Lappius in lapide.
Artem mutandi oppugnans mutatur ab ipsa:
Atq; suo dignum crimine nomen habet.
Vos alii o sores chymiæ nunc discite ab illo:
Talia contemptor præmia quisq; feret
Cui nondum satis est ipsa experientia testis:
Ostendi solem postulat ille sibi.

ARGENTORATI.

Excudebat Conradus Scher.

ANNO M.DC.XVI.

